ORTUS MIRACULOSUS.

ORTUS MIRACULOSUS,
In Occasu submontano,
Sive
SACRA IMAGO VIRGINIS BENEDICTÆ MARIÆ TUCHOVIENSIS.

Sub cura Admodùm Rndorum PP. Benedictinorum Tynecensium existens, crebris miraculorum radijs, continuis solatijs ac gratijs, in auxilium humanæ naturæ

IN REGNO POLONIÆ, ad radices Montium.

CLARESCENS:

Per Commissionem Illustrissimi & Rndissimi Domini, JACOBI ZADZIK, *Episcopi Crac. Ducis Severiæ, Anno* 1641. *examinata;*

Anno autem sequenti 1642.

Ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino,

D. THOMA OBORSKI,

Episcopo Laodicensi, Suffraganeo, & Administratore Episcopatûs Cracoviensis,

APPROBATA.

Novis subsecutis Prodigiosorum favorum radijs, prout in distinctis Capitibus videre est,

EXURGENS.

A

P. BENIGNO BUCHOWSKI,

Benedictino Tynecensi:

In recognitionem Virginalis Pudicitiæ & Excellentiæ,

ex mandato Superiorum

Collecta, conscripta, ac Lyricis versibus

CELEBRATA.

Anno, quo fractum firmant miracula mundum,

1718.

CRACOVIÆ.

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Domini Episcopi Cracov. Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novodvorscianarũ Ordinarij Typogr.

In Illustrissimum Celsissimumquè
SZEMBECIANÆ DOMUS INSIGNE.
Problemata laudis.



I.

SI CAPREAS penses junctas cum flore ROSARUM,
Sunt Majestatis symbola sola Sacræ.
Consimiles CAPREIS crines fert Virgo MARIA,
Fertquè ROSIS similes, mens verecunda genas.
Reginæ Cœli, ne desit adorea laudis,
Victimæ sunt CAPREÆ, Purpura suntq; ROSÆ.

II.

QVo properant CAPREÆ? respondet Gloria Regni,
In Nutantis eunt auxilium Patriæ.
Victricem Lauri currunt pertingere metam;
Nam quicquid calcant, hoc fit amœna ROSA.

Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino,

D. ALEXANDRO

COMITI in Słupow

SZEMBEK,

SUPREMO REGNI DAPIFERO, CAPITANEO BECENSI, &c.

Protectori Amplissimo.

Totiq; Celsissimæ Domui SZEMBECIANÆ,

Gratiam & Pacem à DEO, ad Cor. 1.

& fortitudinem, & imperium, & gloriam Dan. 2.

à Cælorum autem Augustissima Imperatrice

MARIA,

Protectionem perpetuam.

ROSAM ROSIS *addimus, dum Miraculosam* ROSÆ *Mysticæ, Reginæ nempe Cœlorum Purpuram, Majestuoso Tuo inscribimus* ROSETO. *Non alium equidem Augusta* DEI *Parens in Submontanis*

Partibus, divinis manibus gestare desiderat florem, quàm delicatam verecundiæ tuæ ROSAM, quæ submontanis Incolis, tot Protectionis clypeos exhibet, quot Gratiarum continet folia. Sed quòd Intaminatus Purpurearum ROSARUM Tuarum honor, vindice Divæ DEIPARÆ Tuchoviensis foveatur dexterâ, nova Gentilitij Tui emblematis Emphasis est, novusq; totius Orbis Poloni plausus. Præsentat nempe Virgo MARIA, Augusta semper Cœlorum Imperatrix, florumq; Regina, prodigiosâ manu, Insigne seu prodigiosũ totius Celsissimæ Domûs Szembecianæ Virtutum stemma, tanquam maximum, inter tot Procerum fasces, illibatæ erga Ecclesiam fidei, constantisq; erga Patriam amoris, totiusq; erga DEUM, Religionis Prototypon, quô, non tantùm victrix Polonia nostra, inter reliquas Gloriæ suæ laureas, Regale Regni sui diadema, verùm etiam Serenissima Cœlestis Reginæ Majestas, trabeatam Magnificentiæ suæ colorat Purpuram. Præsentat Punicea illa, semperq; vernans ROSA Tua, serenam collapsæ Patriæ frontem, post tot funestas Bellorum inclementias, tristiaq; Reipublicæ exitia, in hilares

rena-

renatam ſcenas; poſtquàm flos ille, ſanctioris vitæ Imago, terreni honoris excedens faſtigia, & per ſublimes Pietatum gradus, Cœlorum ipſum attingens verticem, iratam Benigni Numinis placaverit animũ; ut planè hæc Illuſtriſſimæ Domûs Szembecianæ *ROSA, Superis delicium, terris autem præcipuum è Cælo gratiarum diploma fieret.* Fulcite me floribus, *ſed non alio, quàm Celſiſſimo* Szembecianæ Domus Roſeto, *Diva inter Cœleſtes aggratulantium Camænarum* Gratias *proclamat* Iuno, *DEIPARA Tuchovienſis, inter ardua nimirum Submontanorum collium abrupta quieſcens: quot enim folia, tot Purpuræ, tot Mitræ, tot Infulæ, tot Scuta Regni, tot apices æqvitatis, tot normæ magnanimitatis ſpectantur, omnia ſcilicet venuſtiſſima Romanæ Eccleſiæ ornamenta, fortiſſimaq; perinde Orthodoxæ fidei fulcra: ut non immeritò hocce celebre Virtutum Roſetum, cum Romana honoris æde conjunctum ſit; quòd in hanc, niſi per illud, pateat aditus. Primarium itaq; in ædibus MARIANIS, ad aras divinas decus, Lux, & odor virtutum reſplendet,* Celſiſsimus

 PRIN-

PRINCEPS, STANISLAUS *in Słupow* SZEMBEK, *Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ & M. D. Litvaniæ Primas, Primusq; Princeps, Benedictinæ Congregationis Tynecensis, Supremus Protector, & Archi Abbas, ad Vesperam Polonæ calamitatis, immolans* Gentilitios *pro Patria* Hædos: *seu juxta D. VENANTIUM,* pretiosi velleris Agnos, *intemeratos inquàm conscientiæ sanctæ candores; tamdiu clarissimum Hesperum, in deficientis Orbis Poloni Ecclypsi agens, Divinamq; placans Nemesim; donec cum Sereniori Lucis Nuntia Aurora, Solem justitiæ in Patriam invehat & Ecclesiam. Ille etenim splendor Principum, ac Purpurarum, maxima Purpura! Ille flos* Rosarum, *fulcit & ornat Virgineum Verticis* DEIPARÆ *sertum, illo pulchritudinis & Majestatis conspectu, tanquam Principali Regni decore, tantò plus dans* odorem svavitatis *sanctimoniæ, quantò magis frondet in gratiam* DEI: *dignè è præclara Majorum Stirpe evectus* Primus PRINCEPS, *in præcipuum Nutantis Regni fulcimentum. Ille etenim* PRINCEPS *Archi Præsuleæ dignitatis exem-*

plar,

plar, Virtutumq́ Simulacrum, Patriæ Patris Nomen, Pacisq́ ſymbolum in Gentilitiis includens Roſis, *poſt tot fracta Regni robora, conſecratis in victimam* DEO, *& Patriæ ſacris* Capreolis, *Orbeq́ Polono in Pace feliciter compoſito, Regales* Aqvilas *toties defatigatos, cum corona, Sceptris & Regno, ſuaviſſimis in arcanorum conſiliorum* Roſis *qvieſcere fecit. Certè* DEO *acceptabilis Hoſtia, ſuper ſidera extollenda! nam inter ferreos, cornutosq́ machinæ bellicæ arietes, in medio pacandæ Poloniæ Polo, binus hic moderator Pacis, ex Stelligera* Szembeciana *Domo* In medio fulſit radians Capricornus Olympo. *Iov Pont. Porro, minima dixi: In hoſtiam Placationis divinæ, ad conſumationem ſæculi binus hic* Stabit ſacer Hircus ad Aram. *Virg. Georg.*

Alter pretioſus flos, qui fulcit & ornat Reginæ Cœlorum Purpuram, enitet Jlluſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus MICHAEL SZEMBEK, *Epiſcopus Paphenſis, Suffraganeus, Decanus, Officialis Generalis Cracovienſis: non aliam ſiquidem, quàm hujus Devotiſſimi Præſulis* ROSAM, *ſeu Violam manibus geſtat, Thau-*

maturga terrarum Domina, inter cætera Præstantis Orbis Miracula, magnam Pontificis Infulam extollens, Seraphico MICHAELIS *in* DEUM *ardore rubentem: In qua pretiosa & indissolubilis amoris cum* DEO *Unio, promicansquè Virtutum spectatur gemma, seu coruscus flagrantis Zeli pro Domo* DEI, Vnio. *Minùs iterum eloquor! Decanus ille, Cœlestium in terris Dominationum Prælatus est* MICHAEL *Archangelus.*

Addidit Imperatricis Cœlorum Purpuræ, florem majestatemq́, Magnus Ille Posnaniensis Cathedræ Pontifex, *Senatûs ac Ecclesiæ incomparabile fulcrum: modestâ sapientiæ verecundiâ, pro Patriæ Polonæ præsidio,* dum loqvitur, vernas afflat ab ore ROSAS. *Ovid. 5 Fastorũ.*

Necnon Chełmensis Præsul: *quorum eqvidem Inæstimabilium Præsulum, Pastoralis in Populum solicitudo, majori candore, Avitis resplendet in* Capreolis, *quos pro grege sibi commisso, divinis sacrificant Aris. Tantam enim horum Sapientissimorum Pontificum, in conservando Ecclesiæ gregisq́ gubernio miramur integritatem; ut*

planè

planè cogamur in laudis adoreas exclamare!
Paſcebatq; ſuas ipſe Senator oves *Ovid. 1. Faſt.*
Et grege de niveo gaudia Paſtor habet *Virgil.*

Quid verò gratioſum Supremi Cancellarij Regni Nomen, JOANNIS SZEMBEK, *collapſæ præſeferat Patriæ in ſingulare Solatium? novimus; quia* manus Domini erat cum illo: non enim ſurrexit major JOANNE *illo, de virtute in virtutem:* Magnus coram Domino, *quòd ejus nova* Plantatio Roſæ, *Cracoviæ extra Vrbem, in Monte Carmeli, dignâ in Cœlum uſq; conſcendat Purpuræ gratiâ: Cuius* ROSA, purpureos naſcens diffundit honores, *Virgil. Templiq; nitorem: adeò Liberalis Munificentiæ Largitor; ut in centena Regni Scuta, ac in mille militantis Eccleſiæ diffundatur umbracula: In Cujus novum, Sanctimonialium plantatum* ROSETVM, *Apes* DEO *dicatæ convolare nitentur, melleaq; veniſſe ſecula, perpetuis intuebuntur annis.*

Et quamvis Purpureum Celſiſſimumquè Szembecianæ Domûs ROSETVM, *in quo Roſæ Reginæ, & Lilia Reges naſcenti florebunt ævo,*

b 2 condignô

condignô nesciam celebrari encomiô; *parce tamen Supreme Regni Dapifer*, Illustrissime ac Excellentissime Comes, Protector Amplissime: *etenim* non generant similes Pæstana Rosaria flores: *in quo scilicet* Roseto, *pulchram Sacrorum Florum, Regni Procerum Genealogiam* Pieniąszkoviorum, Rupniowsciorum, Leszczynsciorum, Tarłoviorum, Osolynsciorum, Małachowsciorum, Sbąsciorum, Tarnowsciorum, Potociorum, Wielopolsciorum, Lubomirsciorum, Przyiemsciorum, *aliorumq; Maximorum Nominum, ac meritorum in Patria ac Ecclesia fasces, profundo veneramur cultu: Quorum omnium, Tua Præcipua Virtutum* ROSA sine spinis, *seu veriùs flos integritatis, solatii compendium est*, *& apex honoris, magnum cum Illustrissima Tua, de Illustrissima Palatina* Leszczynsciorum *Domo Palatinide Consorte, Decus addendo.* *Suscipe* Illustrissime & Excellentissime Comes, *Thaumaturgæ DEIPARÆ Tuchoviensis ROSAM Mysticam, Tuo Purpureo inscriptam, insertamquè* ROSETO. *Gaudent etenim Tuâ sapientissima æquitate, submontanarum Partium* Castri

Becen-

Becensis Incolæ, pro felici Tuo Gubernio, Divinam solicitantes clementiam: præsertim Tuchoviensis Oppidi, Ecclesia Thaumaturgæ Cælorum Imperatricis, gratulatur suæ felicitati, quòd sub Tua clementi firmetur Protectione, magnum Tuum non cessans celebrare Nomen: nihilquè aliud à DEO, bonorum Remuneratore precantur; quàm ut possis in æterna vivere dignè ROSA. *Mart. libr. 8.*

Ita precatur,

Illustrissimi ac Excellentissimi
COMITIS,
Protectoris Amplissimi.

servus humillimus,

P. Benignus Buchowski,
Ord. S. BENEDICTI.

CEN-

CENSURA ORDINIS.

NOs infra scripti, ex mandato *Perillustris & Admodùm Rndi Domini* THEODORI ZIELONACKI, Ord. S. BENEDICTI, Regalis Archicænobij Tynecensis Prioris & Custodis, deputati Patres, ad revidendum Librum, sub titulo *Ortus Miraculosus in Occasu submontano*, in quo crebra Divæ Virginis MARIÆ Tuchoviensis miracula, per *A. R. Patrem Benignum Buchowski*, Ord. & Monasterij Nostri Tynecensis Professum, S. Theol. Lectorem, Congregationisq; Nostræ Secretariũ conscripta, & versibus exornata habentur, fide religiosâ testamur, Nos accuratissimè legisse & relegisse omnia miracula, tam nova subsecuta, quàm ea, quæ in antiqvo Miraculorum Libro, partim latino, partim polonico idiomate connotata reperiuntur. Quæ quidem omnia Miracula, supra Præfatus *A. R. P. Benignus* formâ cultiori, necnon lyricis versibus excoluit, ac in Capita sua segregavit; unde nihil Orthodoxæ fidei, vel Decretis Apostolicis, aut bonis moribus contrarium exstat; quinimò cùm hæc omnia contineant augmentum elucidandi honoris DEIPARÆ Virginis: ideò hæc omnia, plenâ fide conscripta esse recognoscimus. In quorũ fidem &c. Datum in Regali Archicænobio Tynecensi, Die 10. Junij, Anno Dñi 1718. L. † S.

P. Maurus Rubinkowski, O. S. B. Senior Pater Decanus, S Th. Doctor. m. pr. *P. Ludovicus Borawski, O. S. B. Actualis Philos. Lector.* m. pr.

AP-

APPROBATIO.

LIber ſub titulo ORTUS MIRACULOSUS in Occaſu ſubmontano, imprimatur.

M. Baſilius Plaſczewski, S. Theolog. Doctor & Profeſſor, Canonicus Cathedr. Crac. Omnium SS. Præpoſitus, S. R. M. Secret. Librorum Diœceſis Cracoviensis Cenſor. m. pr.

Ad Lectorem.

Opera autem DEI revelare & confiteri honorificum est. *Tob. 12.*

O D E.

M*Usarum resonum chorum,*
Si plectrô Aöniô concitat Angelus,
Quis laudes poterit novas
Parcis in modulis fundere Virgini?
Verbi bajula, dum lyram
In cultum Superûm provocat Orphei:
Cui Carmelus amabili
Cingit frõde caput, Chloris *eã* ROSAm
Nostris montibus intulit,
Cœlorumq; colunt agmina plausibus.
Virgo quot folijs nitet,
Tot sunt sparsa ROSÆ *lumina Purpuræ.*

PARS

PARS PRIMA
CAPUT I.
Ortui huic Miraculoso, Principio & Antiquitati profundissimè inclinatum.

Refulsit Sol in Clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis. 1. lib: c. 6. Machab.
Venite & ascendamus ad montem Dñi. Isa: c. 2.
Exortum est in tenebris Lumen. Psalm: 111.

PErsis quàmvis, non literis commune fuerit, Orientem adorare Solem; MARIAM nihilominùs amictam Sole Iustitiæ, supernis desuper gratijs exortam, eò profundiùs veneramur, quò resplenduit eminentiùs. Ad spectaculum igitur & prodigium, pigriùs quidem, sed studiosiori concurrentes affectu, nihil aliud in Monte Sancto, firmissimis vallato miraculorum fundamentis, nisi Opus dexteræ Excelsi, & Lumen Vitæ super nos signatum conspeximus; postquàm ab anno 1468. (in quo Præposituram Tuchoviensem Monasterio Tynecensi Ord: S. Benedicti,

Diœcesis Cracoviensis, per PIVM II. Pontificem Maximum, incorporatam, & per MATTHIAM præfati Monasterij Abbatem Regularem, meliore provisione auctam esse legimus) Imago hæc Virginis DEIPARÆ Miraculosa, Imago Lucis & custodiæ, tanquàm Centoculus Argus, ut errantes in viam duceret, in Clypeum ac tutelam, Scutumq́; Regni Poloniæ, ac Vexillum fidei elevaretur. In quem quidem Clypeum David, quando Divina refulsit gratia, prodigiosos humanæ naturæ demonstrans favores; tunc non tantùm Submontana facies serenam induit frontem, sed & omnes circumhabitantium Provinciarum montes, his illuminati prodigijs resplenduerunt, magno devotionis concursu inclinantes se huic Miraculoso Ortui, properantes ad videndam in bonitate, Luminis Divini Claritatem. Ad cujus lucidissimam faciem, in abscondito videntem, humanæ mentis cæcitas, densissimam in terrarum caligine meditans umbram, Anno salutis humanæ 1597. stupendiori cum affectu, Miraculosæ Virginis & Matris opera vidit. Hoc etenim in Anno, oculus hic Divinæ Misericordiæ, in imum terræ, montiumq́; descendens, duram mentium molem, informiaq; cordium saxa, in conformes vertit bases, in coronides & columnas: prout inferiùs ex hac benedicta Miraculorum Visione, provisioneq; ac gratiarum claritudine pensare licebit.

Non-

Nonne Armaturam fortium & aureum Clypeum David MARIAM, Potentissimam Cælorum, Orterrarumq; Reginam dixeris? in quem aureum Orbis Clypeum, postquàm Sol Divinus, ex Vtero Virginali exoriens refulsisset; tunc MARIA, Ancilla & Mater Domini, humilitatis Clypeô *dejecit exaltationem* infernalis *Goliæ*, auferens opprobrium ex Isráël; quia quem genuit, adoravit Solem. Tunc certè resplenduerunt montes & gradus Christianæ pietatis in DEVM. Imò Sol ille Divinus stetit contra Gabaon, donec hoc in aureo Iosue Clypeo vinceret, triumpharetq; militans Ecclesia. Vel si MARIAM Solem dixeris in Agno DEI comprehensum? tunc refulsit ille Solis splendor, prodigiosis miraculorum radijs in Clypeos nutantis Regni Poloniæ, confirmans illud omni gratiarum lumine, & resplenduerunt montes, seu Capita & apices Virtutum Ecclesiæ Sanctæ, in fidei Orthodoxæ testimonium. *Gnosiacum* hocce *Sidus*, novem Angelorum astris coronatum, clariori radio, in firmamento Regni Poloniæ refulget, quòd *Leone* de tribu Iuda *exoriente* nesciat occasum. Ipsa namq; siderum Regina MARIA Virgo *aptissimè sideri comparatur; quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absq; sui læsione Virgo parturivit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem.* S. Bernardus hom: 2.

 super

ſuper miſſus eſt. MARIAM inſuper Stellam Maris dixero, quæ naufragantis ſæculi felicem exhibet Cynoſuram.

Aut ſi deniq; Filium Matris Solem Iuſtitiæ, ſplendidum Virgineæ integritatis *ſignum* ingreſſum, *opticô* mentis *tubô* conſpexeris? tunc refulſit Sol ille, aureos in MARIÆ terrarum Reginæ Clypeos, ad cujus exortum, mentiumq; illuminationem, reſplēduerunt cacumina fidelium Populorum, conſtanti & inextingvibili devotionis in DEVM DEIPARAMq; luce, cæteris animorum vallibus ad exemplum prælucentia: ut non immeritò propitium Divini Numinis intueamur vultum: quòd nempe Dominus *qui in altis habitat, humilia reſpiciat*, poſtquàm de montibus æternis ad ſubmontanam vallem Tuchovienſem, in auxilium & defenſionem Regni Poloniæ deſcenderit.

Digredior interim volanti calamo; ſed alas Dædali induere nolo: fingat autem amor pennas! excurro ad divini honoris exceſſum, & ad Cælum ipſum inſolitâ ſpiritûs pennâ devehi videor; quotieſcunq; Lunâ pulchriorem, Sole ſereniorem, ſine Ecclypſi MARIAM, ſeu Filium MARIÆ Phœbum Orbis Poloni in Matris DEIPARÆ integritatis ſigno repertum intueor. Imò inter aſtra verſari, vel ipſo in Monte Synai, lumina non fulmina, aſtra non nubes, etiam ipſis mortalium noxis benignâ deſcendere

intu-

intueor fronte: ac in hac prodigiosa Moysis Tabula, Regulam, legemq; Sanctioris vitæ, vivô DEI digitô conscriptam clarescere conspicio: Cælum ipsum serenare, & terram germinare fructum suum, exclamare cogor! quando Benedictis nostris spinarum aculeis ROSAM Paradysi cælestis insidere specto. Nec mirum: nam illa Benedicta inter Mulieres Virgo, Benedicti Patris Religiosum florere facit hortum, quæ nimirum Virgo, nullis originalis culpæ inserta sentibus, omnem in se continet floriditatis vigorem, hortumq; conclusum. Placuit tamen huic Rosæ Mysticæ Florum Reginæ, Benedictarum Spinarum Thronus, ex eo quòd hæ Spinæ non essent aridæ perfectionis in Cultum DEIPARÆ: unde MARIÆ tutelâ gravissimus Ordo gratiùs effloruit.

Loqui deficio: suppleant Chronici Patres, *Cajetanus*, *Bucellinus*, inter quos non ultimæ recommendationis etiam Noster *Stanislaus Sczygelius* Abbas Trocensis: alijq; Augustæ DEI Parentis Præcones: certè fatebuntur Divinissimum Patriarcham, favoribus Benedictæ MARIÆ satis abundanter crevisse. Florem etenim ætatis suæ, tanquàm purissimæ mentis primitias, *Divus Benedictus*, DEIPARÆ Virgini, Romæ in Palatio Paterno consecrando, ad eum Reginæ Cælorum cultum devenit; ut etiam in omnibus postea suis Monasterijs, Aras Virgineo

erigeret honori; ſuam Sororem, Virginem *Scholaſticam*, Virgini MARIÆ *de Plumbariola* dictæ, præſidio ſubijceret. Sacella Patrum *Affligenienſium*, *Einſidlenſium*, *Pogenbergenſium*, *Talenſium*, *Ottingenſium*, *Mariæcellenſium*, alteriusq; Provinciæ, Regionisq; miraculoſa DEIPARÆ loquantur templa, Religioni Benedictinæ Sacra; quantùm placeat Superûm Sponſæ MARIÆ, Sacris in Roſis, è cruore *Benedicti* Patris, productis, miraculoſos luminis ſuæ deponere radios. O & præſidium & dulce decus noſtrum! Patrum deliciæ! Divitiæq; mentis! animæ Refectio! ſalutis Portio! quis Tuæ Virginali purpuræ dignas poterit laudum intexere gemmas? erubeſco ante radiantis frontis obryzum, ne forſan indignos velit mentis repudiare lares: *Narrabimus mirabilia tua.* Pſalm: 74. Aut ſi ipſe trepidantis animi greſſum dimoveo, parce ô Virgo! nam interim Lectoris faventiam, in tui ſvavem conabor revocare proſpectum. Concludo autem cum S. Bonaventura in ſpeculo Virgin: Cap: 8. *Quis eſt, ſupra quem Sol non luceat? quis eſt, ſupra quem miſericordia MARIÆ non reſplendeat?*

Imaginis Miraculoſæ, præſens conſpicitur forma: B. V. MARIA amæniſsimo, majeſtuoſiſsimoq; oculo, reſpiciens in Populi ingredientis faciem, ROSAM in dextera gerens, ſiniſtrâ verò manu Puerum IESVM in ſinu Materno fovet quieſcentem,

Di-

Divinum adeò Numen placabile reddens; ut pertinax peccatoris obstinatia, primâ agnoscentis verecundiæ fronte, facilem delinquentis culpæ veniam mereatur. Sed si quæris Sacrum ROSÆ Mysterium? his in versiculis gravem honoris importantiam invenire liceat, quos adjungo:

Quid Rosa? quid Roseus Puer indicat? auguror inde:
Præsidium Nostrum, deliciumq; ROSA.
Floribus Orbatas Spinas Benedictus *haberet;*
Si non has duplex cingeret illa ROSA.

Puer etiam IESVS, capite ad humanæ naturæ auxilium, misericorditer inclinatus, globum mundi dexterâ prehendens, alterâ Populum suaviter benedicit.

Bajulat Atlantis cælestis dextera mundum,
Languida Regnorum brachia, sola levans:
Si ferit illa, tamen parcit, si crimina pensat:
Quàm fortis præstat, tam pia, tamq; bona est.
Ambæ clementes sunt palmæ, suntq; benignæ:
Corripit una quidem; ast altera fundit Opem.

Cujus autem genius, ceû Pictorum Excellentia, plena Spiritu Sapientiæ & timoris Domini, hoc admirandum Artis exemplar, in Tabula unius cubiti, in longum & latum, tam svaviter depinxerit? in solius Omnipotentis DEI abysso, hucusq; absconditum est. Hoc tantùm posteritatem docuit antiquitas; quòd hæc Sacra DEI Matris Imago, antiquitùs in pervetusta Ecclesia, Tilijs cirumferentionaliter ad eam di-

spo-

ſpoſitis, loco præſenti, extra fluvium vulgò *Biała* dictum aſſervata, portabilis de loco in locum, dum ſæpiùs Sacris adhiberetur Proceſsionibus, ſpiritus nefarios, reliquaq; morborum genera, è corporibus humanis exturbare viſa, necnon Angelorum concentu, in àére celebrari audita ſit; donec in altari decenter collocaretur: ubi ad hæc uſq; tempora graviſsimis, ad ſublevandam humanam naturam, coruſcare non ceſſat miraculis.

Hujus autem Templi tantam DEVS animis mortalium inſpiravit Religionem ac cultum; ut populus divinum ingredi videatur Propitiatorium. Tiliæ verò tantæ erant craſsitiei, ut vix duo homines unam extentis brachijs circumambire poſſent: quæ quidem longa temporum ſtatione, ob vitium ſenilis vetuſtatis, plurimæ ſunt everſæ.

Hæreticorum ſolam Scarabæjam hæc ROSA necat inſolèntiam, ac audaces in cultum Sacrarum Imaginum inſultus blaſphemiæ, qui audent effutire, nos adorare ſculptilia; ſuperſtitioſumq; nobis imputant ſimulacrum. Nonne fictorum Deorum ſimulacrum, verus DEVS & natura confundit? jam verò Sacra Imago ſimilitudinem ſpeciei defactò reperibilis nobis repræſentat: qualem defactò hæc Divina fæderis Arca, mirabilia DEI incarnati bajulans demonſtrat, dignumq; meretur cultum. Et quodſi Regius Vates, jubet adorare Scabellum Pedum DEI

quo-

quoniam ſanctum eſt, cur non Imaginibus ſacris, in quibus divinus præſentatur honor, Reverentiæ cultum exhibebimus? Vtinam hujus ROSÆ ſine ſpinis flore, compuncta hæreticorum corda, ad ſanum Eccleſiæ Orthodoxæ ſenſum trahantur, & convertãtur. Interim in hanc Myſticam ROSAM, oculos & animum conijcio.

In Purpurali ROSA, quam Diva Tuchovienſis ſeneſcenti mundo præſentat, aurora Vitæ eſt, ac lumen gratiarum inexplicabile. *Ecce Odor agri pleni! cui benedixit Dominus.* Gen. 27. *Audi nos o Virgo, nam Filius tuus, nihil negans, honorat Te.* Petr. Dam.

CAPUT II.

Protectoribus, Munificentiſsimis Fundatoribus, ac Benefactoribus profundiſsimè inclinatum.

ILluſtriſsimis olim ac Reverendiſsimis Dominis, IACOBO ZADZIK, Epiſcopo Cracovienſi, Duci Severiæ: necnon THOMÆ OBORSKI, Epiſcopo Laodicenſi, Suffraganeo, Adminiſtratori Epiſcopatûs Cracov. Magnis Præſulibus, ob graviſsimam in DEIPARAM pietatem DEO meritiſsimis, quorum operâ & indultô, Miraculoſa Imago examinata & approbata.

 ODE.

O D E.

REgina florum! cur tituli decus,
Vestris prehendit de manibus sacris?
Fasciclus ut myrrhæ, sepulchra
Vestra coronet in Orbe lauro.
Vos ara Templi, vos Patriæ labor,
Zelusq; sanctus, perpetuò canant:
Pedumq;, Mitramq; inter astra
Alligerûm celebrent camœnæ.

Memoratur Insignis in DEIPARAM Virginem Cultus, Magnifici olim ac Generosi Domini *Adami Glinski*, Vexilliferi Sandomiriensis, magnorum in Patria meritorum Viri, totius præsentis Ecclesiæ Fundatoris, qui liberaliori quàm Crates Philosophus, in mare gratiarum effusâ liberalitate, ex angulo angusto augustissimam (plusqàm Ephesinæ Deæ Templum) cœli domum extruxit. *Allusio in Gentilitium Caput.*

O D E.

CLivus Tarpeius Iovi,
Contractô titulos vertice contrahit;
Nec præstat Capitolium:
Postquàm clara tuæ mœnia Cynthiæ,
Maiestas peramœnior,
Replet perspicuo lumine gloriæ.
Vis perpendere victimam?

Cœlo

Cœlo nonne caput nobile conſecras,
Quod Regina ſerenior
Cœli, ſidereis ſedibus intulit.

Solemne gratitudinis, in Virginem DEIPARAM celebratur monimentum, *Georgij* olim de Zymnowoda *Leśniowſki*, Enſiferi Kijenſis, poſtea in veneranda ſenectute Sacerdotis, magnæ lucidiſsimæq; in Patria & Eccleſia, Marianæ Pietatis Lucernæ, viva Virtutũ primordia *Lapidi Angulari* conſecranti; qui ante præſentem fabricam, chorum muratum à fundamentis erexit, magnis in Eccleſiam DEIPARÆ muneribus liberalis. Vtriſq; interim Largiſsimis muneratoribus, indelebile laudis exaratur argumentum.

O D E.

NArrare quod ſi poſſet Olympia
Graiumq; pectus, garrulus Alpheus;
Plus ille veſtras quàm per undas
Herculeas reſonaret artes.
Vos fronte Martem, vos Patriam fide,
Araſquè cultu redditis inclytas:
Poſtquàm Tonanti conſecraſtis
Et Patriæ, arma animoſq; fortes.
Non ſic coruſcat ſplendidior Thetis,
Vt ille Virtutum radijs Lapis,
Spectata Veſtrûm, quem, perennem
In titulum Pietas dicavit.

Iactus supernô præsidiô Lapis,
Durabit in festum hospitium DEO:
Magnæq; Majestas Parentis,
Stantibus hîc residebit annis.

Illustrissimo olim & Rndissimo Dno NICOLAO OBORSKI, Episcopo Laodicensi, Suffraganeo, Scholastico, Vicario in Spiritualibus, & Officiali Generali Cracov: Ecclesiam B. V. MARIÆ Tuchovień. consecranti, *Immortale Evcharisticum.*

ODE.

M*Agna Præsulis Tiara,*
Maximis infertur astris:
Siderum plaudant Penates,
Et novem Musæ reludant,
Purpuram gemmis novis exornent.
Mens profunda cœlum scandit,
Fama Præsulis, perenni
In gregum quiescat ulna:
Corporis Bustum coronet
Laureatus germinum Senatus.

Magnificorum olim ac Generosorum Dominorum, *Casimiri* de Iunosz, & *Teresiæ* de Gorka *Rapacka*, *Szaniawsciorum Conjugum*, Officio Venatorio terræ *Łukoviensis* insignium, Pietas erga Virginem DEIPARAM celebratur, quorum fundatione, in eadem Ecclesia, Capella, Confraternitasq; Immaculatæ Concepti-

ceptionis B. V. MARIÆ, ex beneplacito Sedis Apostolicæ, anno 1699. eſt erecta. Ne autem tanta Virtutis fama, ſilentiö obvolvatur, *Lapis* in titulum Magnæ Parentis jactus, *de pariete clamabit*, (Habac. 2.) *Agno*, interim gentilitio, cum Generoſiſsima *Rapacianæ* Domûs *Solea* conjuncto, perpetuus laudum cultus inſcribitur.

1 3 O 2 D E.

HIc Agnus *præſtat robore fortior*,
Gentes Ceraſtæ, prælia cornibus,
Fruſtra fertis arenæ,
Quam Pamphilia diſsipat.
Candentis Agni cornua fortia,
Candore pugnant Virgineo ſuo,
Si dentes Theonini
Rodant carmina Virginis.
O Virgo! cuncto ſidere pulchrior!
Intaminatis orta decoribus:
Exardens fremat Æthna,
Afflet Sirius halitu!
Neſcit furores hæreticus loqui:
Maligna ceſſant tunc anathemata,
Quando candidus Agnus,
Armatus Soleâ *ſonat.*

Virgini Immaculatæ MARIÆ, ſine labe Originali Conceptæ.

ODE.

V*Irgini, soli sine labe* SOLI,
Semper illimi speculo, corusco
Siderum fonti, sine fine currant
Carmina laudum.
Virgo! natales legis Una cunas,
Antequàm vidit sua Regna cœlum,
Antequàm tellus & aquosa starent
Flumina Ponti.
Lilium es: nullis violata spinis.
Et Rubus: nullis calefacta flammis.
Pulchrior lunâ, rutilantiorq́;
Sole sereno.
Phœbus ah necdum, rutilusq́; currum
Vesper emensis gradibus retraxit:
Candidis necdum sociata stellis
Luna refulsit.
Floruit necdum generosa palma,
Extulit necdum caput atquè cedrus:
Labili necdum properare norânt,
Sæcula mense.
Iam triumphasti sine labe Virgo!
Criminis exlex: bene Te MARIAM
Gratijs semper, meritisq́; plenam
Dicimus esse.

Reve-

Reverendiſsimo olim Domino *Stanislao* de Bieganow *Bieganſki*, Epiſcopo Bacchovienſi, in utraq; Valachia O. M. S. FRANCISCI, conſecranti Altare Immaculatæ Concept. B. V. MARIÆ, *laudis adorea.*

Quis Tibi Præſul erat devoti Pectoris ardor,
Incenſis aris commemorat Pietas.

Magnifico olim ac Generoſo Domino, *de Grabow, Makarow, Remigio Grocholſki*, Bracłavienſi Vexillifero, Viro, in Republica ſatis merito, qui Sacellum Divis, BARBARÆ Virgini, & S. ANTONIO de Padua ſacrum, Anno 1700 erexit. Ex Gentilitio *Habdank* inverſo W, gloriæ conthema laudis, ob inſignem ipſius in DEIPARAM pietatem erigitur:

ODE.

SI magna congruit loqui,
Operumque magnitudinem:
Virtutis aut ſi culmina
Reſcire nitimur tuæ;
Quæramus aſtra? deſuper,
Te nonne Magnum perlegunt.

Magnifico, ac Generoſo olim Domino *Ignatio Rudźiejowſki*, Pocillatori Bracłaviẽſi, Magno pijſsimoq; in Virginem DEIPARAM Muneratori: necnon Liberaliſsimis Benefactoribus: Faventiſsimis Eccleſiæ Beatæ Virginis MARIÆ Tuchovienſis Protectoribus, *Carmen votivum.*

ODE.

O D E.

AD te larga loquor munificentia:
Intingo calamum flumine Lydio,
Vt fundam auriferis nomina fontibus;
Sed necdum meritæ Munificentiæ,
Condigno queo pro munere gloriæ:
Nam quòd fluctuet hoc gloria rivulo,
Ludunt pallida, non aurea sæcula.
Intingo calamos in Mare Gratiæ,
In quod divitias abnega merseras:
Quidquid scribo: nitens gemma tibi fluit.

PARS SECUNDA.

COntinens Miracula, tam ex Actu Commisſionis, prævio juramento recognita, quàm ex Votivis Tabulis connotata. Plurima novis præclarisſimis gratiarum exorta favoribus: quæ quidem nullatenus omitti poterant, ſed antiqvis adjungi, ipſo inſpirante JESV Chriſto: *Nonne decem mundati ſunt: & novem ubi ſunt?* Luc. 17. Et quod ſi homines tacuerint, *lapides clamabunt.* Luc. 19. *Vbi ſunt beneficia, quæ præſtiti vobis?* Eſdræ 4.

CAPUT I.

Imago Miraculosa, prodigiosis desuper celebratur gratijs.

ADsunt Divina prodigia: plus quàm in potenti Moysis virga præfigurata. Si fæderis Arca, Moysisq; virga, in recognitionem Divinæ Excellentiæ, honorabilem Populi meruit cultum; cur non Prodigiosa DEIPARÆ Tabula? Divinis impleta gratijs, conscripta Privilegijs, ad sublevandum lapsæ humanæ naturæ statum. Sileat Hæreticus & audiat. Verba loqvuntur Bzovij Prolihistoris, *Imagines MARIÆ oculos habere & videre: manus, & adjuvare: aures, & exaudire: non quatenus Imagines sunt; sed quatenus bajulæ sunt Virtutis Marianæ, à DEO communicatæ.* Sed interim sereno spectante cœlo, seu radiante Solis in Virgine comprehensi radio, copiosum oculi humani depluant lacrymarum imbrem, cùm sequens mira rei novitas, frigidi cordis incendat intima.

Sæculo præterlapsô, dum hæc Sacra Benedictæ Matris Imago, à pictore ex Oppido *Pilzno*, Tuchoviam in Sacellum suum deferretur, (margines tantùm deaurabantur) accidit; quòd effusissimus resolutis nubibus circumflueret imber, totâq; submõtanæ Regionis faciem, insani nimbosoq;horridus auster ob-

volveret ſyrmate : nulla tamen pluviæ gutta, ſuper Imaginem ac Latorem decidit. Aëris inclementia nonne ceſsare debuit præſente Cælorum Reginæ, Solisq; Iuſtitiæ ſerenante facie? Miraculum inprimis recognoverunt, P. *Stanislaus* Andreovienſis, grandævus Profeſſus Tynecen. P. *Martinus* Melanius Vicarius Tuch. idemq; anno 1641. juramento comprobavit Famatus *Stanislaus Smilo*, Civis Cracovien. & protunc Advocatus Tuch. annorum circiter ſeptuaginta. Viri omnes moribus probati, & fide digniſſimi. Hæc nempè prodigioſa Tabula, eſt illud glorioſum teſtamenti Tabernaculum, *in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à Pluvia.* Iſa. c. 4. aut ſi plus eloqui liceat : MARIA vellus Gedeonis cœleſti Spiritus Sancti plenum gratiâ, à terrenis, communis culpæ manſit humoribus ſiccum. *Fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.* Iud. 6.

ODE.

SErvile fas eſt, Principium ſequi:
Hinc totus Æther militat obvius
Reginæ Olympi : adſtare tantùm
Curribus, obſequium reponit
Imber. Micantes undiquè cingite
Gemmæ MARIAM : cingite regium
Iter : Napæarum catervæ
Laurigero præeant tridente.

Au-

Aurata Gangis currite flumina,
Partumq; conchæ fundite nobilem,
Vt Regulum Regum venustum
Irradient rutili lapilli.
Turbavit Auster littora Nerei,
Classem vocando nimbiferam; maris
Nec fluctibus jactatur Orbis;
Quòd niteat Cynosura Vitæ.
Regina mundi! cœlicolûm Potens!
Turbata Regni prælia vindices:
Rerum tumultum, & quas gementes
Mundus habet lacrymas revise.

Sequens etiam, quod perlegis devote Lector, sæculorum Portentum, cordis mentisq; basibus infige; ut constans tua in DEIPARAM Pietas, firmiori desuper gratia stabiliatur per illum quidem, qui de tuo loquitur conatu: *eripiam eum & glorificabo eum.* Psalm. 90.

Anno 1625. Cùm hæc S. Imago, iterum Currui imponeretur, & ad Pictorem, in Vestimentis tantùm & marginibus deaurandis deveheretur: equis cursu rapidissimo, inordinatoq; passu, ex monte versùs stagna errantibus, res periculosa latoribus præsentibus gravem incusserat metum; ne & ipsi, & Imago, patenti subjicerentur ruinæ: Rotæ interim quatuor, mirabiliter defixæ in terra hæserunt, equis de loco in locum se movere non valentibus. *Adm*

R. P. Sebaſtianus Pielſz, Præpoſitus Tuch. teſtis oculatus, ſuper miraculi veritate juravit, necnon *Stanislaus Smilo*, Advocatus Tuch. Nec mirum: nam Currus ille Incarnati DEI, Regis æterni, *decem millibus multiplex*, millium lætantium Angelorum, Reginæ Cœlorum aſsiſtentiam bajulans, decidere non potuit, divinâ detentus gloriâ. *Cæleſtes Rotæ cum eis & gloria DEI Iſraël ſuper eos: ſtetitquè ſupra montem*. Ezech. 11. *Iubilate montes laudem*. Iſaiæ 49.

O D E.

IN *punčto fabricam ponere nitimur,*
In quali potuit nemo quieſcere:
Heû nec mundus adhuc impavidus ſtetit!
Dum vult ſurgere, corruit.
Quem Tu VIRGO Potens, neſcia caſuum,
Labentem relevas, impavidus ſtetit:
Aut ſi morte cadit, non graviter ruit;
Poſtquàm in ſidera volvitur.

Res planè gratioſa. Anno 1631. ſeptennis Scholaris, in quo nulla fuit macula, *innocens manibus & mundo corde*, die Cœnæ Domini, tempore Veſpertino, ad ædes Miraculoſæ VIRGINIS, ſuo ordine procedens, Viſibiliter divinam benigni Numinis, amoris inquàm in Creaturas ſcenam, Matrem MARIAM cum Puero IESV, dulciter in àëre ſpe-

culaba-

culabatur. Indicabat ille quod ſpectabat, monſtrabat quod proſpexit; at cæteri inferioris innocentiæ, præclarum hoc non meruêre ſpectaculum. *Omnes quidem currunt; ſed unus accipit bravium.* Ad Corinthios 9.

ODE.

HVc niſi caſtæ properate mentes:
Alites celſæ Pietatis ite?
Nempe ſuſpectis oculis negatur
Lumen ab alto.

Qualis Eôis revocans ab umbris
Lucifer currum, croceosquè crines,
Phœbus è magni Pelagi profundo
Traxit in Altum;

Luce ſic VIRGO rutilas in Orbe:
Cæcitas ſæcli nequit heû videre!
Qualiter noſtrum venis in levamen
Lumine grato.

VIRGINES cultæ, pueriquè caſti,
Virginem purâ redimite laurô;
Dum piè mulcet Pueri Tonantis
Viſcera Mater,

Virgo! Quam Princeps rutilus dierum
Induit, Reginaquè noctis effert.;
Siderum totus tua ſed Senatus
Tempora cingit.

 Quam

Quamquè Carmeli Libaniquè montes
Floribus pingunt, variusquè monstrat
Campus horarum, placidâ vel ilex
Terminat umbrâ.
Cûi pares fulgent vigiles ocelli?
Candidis fulgent similes columbis:
Fontibus Lydis benè lota clarent
Lumina frontis.
Cûi genæ florent similes MARIÆ?
Hæ Rosis ardent Cypriis, nitentquè
Pulchra pæstano quasi fulguraret
Purpura fronde.
Splendet ex ulnis Genitiquè vultus
Ignis auroræ veluti coruscus,
Seu micat totus, quasi Sol refulgens,
Nubila pellens.

In adjutorium Mortales accurrite: non ut defendatis; sed ut defendamini. Anno 1657. Irruente Vngarorum acie *Georgij Rakocij*, Principis Transylvaniæ, Partiumq; Vngariæ Domini, ac Siculorum Comitis, cum grandi reliquo Exercitu, Svecis contra Poloniam prælianbus, in succursum properante: ad spoliandas interim ædes Miraculosæ Imaginis Tuchoviensis deflectente: Vnus eorum, divinas prædictæ Sacræ Iconis Aras, sacrilego conscendit pede: sed divinâ repulsus dexterâ, retrò cecidit concussa cervice, posteris tremendum sceleris

sup-

supplicii relinquens. Interim reliqui præsentes, hocce terrefacti casu, à maligno spoliandi proposito desistunt: Verùm sacrilegus invasor, à commilitonibus ad prosequendum iter arreptus, inter execratoria anathemata horribili morte exspiravit. Hortus enim ille conclusus, nulla originalis culpæ macula fœdatus, inviolatum integritatis includens trophæum, nullatenus potest honoris sui pati spolium. Sic decebat *Sacrilegum, vitâ privari, Domino illi condignam retribuente pœnam.* 2 Machab. 4.

Sacrilegus prædo, divina captus in ira,
Dum Vitam impugnat, non sine morte ruit.

Pugnare fides, toties invicto nititur animô; quoties perennes Martis laureas, pro honore DEIPARÆ Virginis, in classes distribuo. Sed antequàm vincamus, pugnam intueamur. Anno eodem, Polonus exiguus numero Exercitus, à Svecis tremendo belli accessu, inter Tarnoviam & Tuchoviam oppugnatus, ob imminentis periculi metum, exitiumq; Regni, Tuchoviam versùs, sese obvertens, ac si certissimum asylli Refugium, in Miraculosa Virgine MARIA, castrorum acie ordinata, per constantem appellaret fidem, à persequentibus mansit investigabilis. Quinimò postquàm Svecorum Phalanges, Vngarorum cuneis junctæ, studiò Sacras Miraculosæ Imaginis quæsivissent ædes, cœlum pro orthodoxæ gentis salute credo pugnasse: nam nebulis repen-

tinis

tinis tota submontana obducebatur facies: & quamvis hostiles insultus, penes ipsammet insanirent Ecclesiam; oculi tamen omnium tenebantur, ne eam agnoscerent: donec inter montium præcipitia errantes, sese longiùs aberrasse adverterent; Sicquè distractô, implicatôq; Reipublicæ robore, desperatisquè, inter paventium undiquè Procerum arma, Patriæ rebus, per MARIAM pace subsecutâ, Polonia etiam Reginæ suæ Auxiliatrici, Divæ Tuchoviensi, Regalia debet invictæ potentiæ sceptra: *Exaltare* Domina *in Virtute tua.* Psalm. 20.

Non omnes Aquilæ spectabunt Lumina Solis,
Caligant oculis degeneres animi.

Mirabilius illud G. D, *Ioannes Gironski* Tenutarius *Cięßkowicensis*, Anno 1633. habens in facie ulcus horrendum, ex plica contractum, factus Opprobrium hominum, delubrum fædantis larvæ, in Fonte Gratiarum abstergere satagens, præsentat suam ignominiæ formam, Speciosæ præ filiabus hominum, Reginæ Cælorum Tuchoviensi. At Cœli terræq; Domina, propitiam se illicò mortalium malis exhibens, labentem animum erexit: hinc altiùs ingemiscens Ioannes, stupendô prorsùs sanatur portentô, alligatô tantùm mundo strophio, quod tetigit Sanctam Iconem. Dicat hoc in loco, fæda animæ nostræ exulceratio: *Si tetigero tantùm Vestimentum ejus salva ero.* Matth. 9.

Viribus

Viribus enervos Petri si roborat umbra,
Plus poterit Lucis Filia, luce dare.

Quotiescunq; S. Imago, dum adhuc esset portatilis, ex Ecclesia sua in Oppidum deferretur; toties DEVS Præpotens, varijs plagarum flagellis, incolas perturbavit; donec decretô primùm civili sancitô, ac postea appositâ Adm̃ R̃ndi Patris Præpositi confirmante authoritate, Votivo includeretur Altari. *Et reduxerunt arcam Domini.* 1. Reg: c. 7. *Et cessavit quassatio.* Psalm. 105.

Hostis adest, quoties Mater cum Principe Pacis
Tollitur: & quodsi sistitur, hostis abit.
Hoc clypeò David, pelluntur pestis & ignis:
Hac sub (nempe) ROSA, Fœderis Arca *latet.*

Constat igitur ex prædicta Imagine, miraculorum radijs clarissima, quòd præsenti in loco Divinæ placuit habitare Majestati, ipso annuente Domino: *Elegi locum istum mihi in domum sacrificij: si clausero cœlum, & pluvia non fluxerit, & misero pestilentiam in Populum meum: conversus autem Populus meus, deprecatus me fuerit, propitius ero peccatis eorum.* lib. 2. paralip.

Hæreticorum pertinacem incredulitatem, ad sequentis convoco Miraculi prospectum. Anno 1645. *Adalbertus Krudno*, Tuchoviensis, gravissimô morbô depressus, Divam inclamans Tuchoviensem, & foras deportatus, visâ tantùm Ecclesiâ Mi-

raculosæ Imaginis, statim è strato surrexit, ac convaluit. Mirum est! plus eloquor: si visâ tantùm Arcâ testimonij, Civitatis *Iericho, muri illicò corruerunt* Iosue 6. cur non corruant hostiles naturæ nostræ Phalanges, visâ prodigiosâ Fœderis Arcâ MARIA, in Qua mirabilia DEI exercituum reposita quiescunt. *Et elevantes oculos suos viderunt Arcam, & gavisi sunt, cùm vidissent.* 1. Reg. c. 6.

O D E.

Lethale tabum proditur illicò,
Languentis inter viscera pullulans,
Vix conscio quamvis latenti
Expositum, oppositumq; achati.
Ad Te MARIAM, musa petit loqui:
Quæ pellis ægri vulnera corporis-
Si Phœbe spectas clausô Olympo,
Plus facies nebulis remotis.

Anno 1705. In Festo Assumptæ in Cælum Virginis: dum in præsentia multorum adstantium, Cleri præsertim dignitate audientium, tempore Concionis, in præfata Ecclesia Miraculosæ Imaginis, per *Adm. olim Rńdum Patrem Cantium Kozłowski* Ord: S. Benedicti, Philosophiæ in Alma Vniversitate Cracoviensi Doctorem, hæc verba polonico proferrentur idiomate: *Patria nostra per discordiam extingvitur:* statim candela una, in Altari miracu-

losæ

losæ Imaginis extincta est. Et postquàm prædictus Pater, sermonem ulterius prosequendo diceret: *attamen in Luce Virginis Augustæ, poterit Patria nostra accendi, & lucere*: statim candela per se extincta, accensa per se, luxit. Miraculum testes oculati deposuerunt, quod *Adm. Rnd⁹ Pater Damascenus Iaronski*, Benedictinus Tynecensis, Notarius Apostolicus, Libro Miraculorum inseruit. Arcanum interim facti placeat perpendere: Certè nutantis hocce Nostri Regni Poloniæ problema est. Ardor fidei, Religionisq; lumen, nebulosâ excæcatur inconstantiâ, legemq; DEI prostituit; sed descendente DEO in hunc montem Synaï, scintilla probitatis nostræ non fulgurante, sed serenante illo accenditur: Regnumq; fide claret, in MARIA Matre Luminis: & amplius *non erit qui extingvat*. Isai c 1.

Sæpiùs una premit totum discordia Regnum,
Extingvit Patriam, solaquè seditio:
Attamen in radijs primi lucebit Amoris,
Illam si VIRGO Sol tuus irradiat.

CAPUT II.

Ecclesia Miraculosæ DEI Matris Tuchoviensis, Angelico celebratur cantu.

MARIA ab Angelo salutata, nonne dignè Angelicis,

licis, celebratur encomijs? Quæ in Reginam Angelorum VERBO Patris proclamata, jure divino Angelorum posſidet chorum. In illa nempe peraugusta DEI Matre, excellentiſsimam unionem cum DEO, *Seraphinus* præſentat ardor: Plenitudinem ſcientiæ, *Cherubinus* deprædicat Ordo; Regium Salamonis Thronum, in quo Divina majeſtas ultimatè quieſcit, exaltant *Throni*: *Dominationes*, divinas Incarnati Verbi laudes diſtribuunt: *Virtutes* exeqvuntur: *Poteſtates* conſervant: *Principatus*, Imperij ſceptra plantis MARIÆ ſubjiciunt, *Archangeli*, Regnorum capita defendere nituntur; *Angeli* demum communem Indigentis Populi inopiam, Clementi DEI Matri commendant. *Laudemus eam, & ſuperexaltemus eam in ſæcula.* Daniel. 3.

Anno 1608. Ipſa Solemni triumphalis Reſurrectionis Domini nocte, *Agnes Najemniczkowa, Hedvigis, Stanislai Markowic* Conſors, & *Dorothæa Iacobi* Conjunx, Tuchovienſes, Proceſsione Paſchali, & Matutinis in Eccleſia Parochiali completis, ad ædes Auguſtæ DEI Parentis, ex ſolita in DEIPARAM pietate deflectentes, dum foribus clausis appropiarent, ſubitò cæleſtes audiêrunt cantus, non ſine gravi mentis ſtupore: cùmq; ſuaviſsimo hoc Angelorum detinerentur concentu, per Eccleſiam, præſertim circa Miraculoſæ Iconis aram diffuſò: Voce tandem finita, in lacrymas provocatæ, pleno ore non hu-

manas

manas fuisse voces profitebantur: & hoc ipsum Maritis suis sæpiùs gratâ repetentes memoriâ, tandem Præposito, ac Loci Capellano sub juramento deponentes, Miraculosæ Virginis gloriam confirmârunt, dicentes: quia *cantabant canticum novum*. Apocal. 5.

Anno 1622. Grassante Pestis lue, quædam mulier devota, evadendæ contagionis causâ, remotiùs secedens, interim lassa, & publicis defatigata calamitatibus, ad latus cœmeterij Divæ Tuchoviensis Ecclesiæ sese projiciens, suam DEO, DEIPARÆq; commendat inopiam. Et ecce silentis horâ noctis, ipsô Omnium Sanctorum Festo, symphoniacus concentus in eadem Ecclesia circumfunditur: Lux in super splendidissima oboritur; processioq; Personarum Sacerdotali amictu vestitarum, peragi clarè videtur. Qua visione primùm exterrita præfata Mulier devota, deinde in alacritatem excitata est ita, ut penitus depulsa ægritudine convaluerit. Sed & alterum inenarrabile carmen.

Anno eodem scilicet 1622. Contigit, quia *Sebastianus Vrbankowic*, Calcantista Tuchoviensis, repulsus à communi consortio, eò quòd peste sublatos humasset, in Porta Cœmeterij Ecclesiæ Miraculosæ DEI Parentis pernoctare coactus sit: dumq; somnus ob famem publicam ab eo aufugisset: Orationi deditus, audivit cantum multorum, quasi divina Officia peragentium. Extensâ interim in pro-

fundum noctis, eâdem ſacrâ hymnodiâ, ex ſtrato ſurgens, cum timore paulatim tentavit ad fores Eccleſiæ deſcendere: ſed præter cantum magno lumine terrefactus & exturbatus receſsit. Quibus peractis, ex leni vento paulatim Arbores circa Eccleſiam commotæ ſunt, & Viſio diſparuit. Miraculum teſtes auriti, juramento comprobârunt, *Adm. R. Pr. Sebaſtianus Pielſz, Præp. ejuſq; Vicarij.*

Auditus quoq; non ſemel à de nocte pertranſeuntibus Angelorum, ad Cæleſtis Reginæ Sacellum excubantium chorus, qui Ordine circa altare Miraculoſæ Imaginis (prout in Iconibus copialibus videre eſt) divinas alternatim cecinere laudes, triſtemq; Regni Poloniæ vultum & animum exhilaravêre. *Et nocte Canticum ejus.* Pſalm. 41. *Subitò facta eſt cum Angelo multitudo Militiæ Cæleſtis laudantium DEUM, & dicentium: Gloria in Altiſſimis DEO: & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ c. 2.

ODE.

Vos hoſpitales Gratiæ proludite,
Nam Mons hic eſt Phœbo ſacer,
Surdiq; colles colla ſubmittent fera,
Salientq; Corda ſaxea:
Circumvirentes montium cuſtodiæ,
Nemorumq; grata ſilentia,

Magnæ

Magnæ Parentis audient præconium,
Titulumq; VERBI Mystici.
O Laureti, lucidiq; Principes!
Tubæ DEI Sententiæ!
Iustitiæ Solis perennes augures!
Magnæq; voces Cynthiæ!
Arboribus per noctis umbram fulgite,
Vt manè rorent lacrymis;
Aut per rubeta devios hædos lyris
Revocate pervigilantibus.
Septemquè Musæ clavibus reconditam
Aperite Cæli januam.

CAPUT III.

Ecclesia Miraculosæ Imaginis, Cælestibus illustratur flammis.

Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & Gloria Domini super Te orta est. Isa. 60.

OCulos & animum erigere placeat: astra radios inclinant, Cælum in terras deflectit. Exortum est in tenebris Lumen Nobili Aquilæ Polonæ, ut palpebram cum filijs erigens, hac in luce apicem salutis conscendat. Sed antequàm mirandum perpendamus spectaculum, palpebras devotis diluamus in lacrymis.

Fama-

Famatus *Stanislaus Sasak*, Civis Tuchoviensis, temporibus præterlapsis, Anno scilicet 1618. cum Fratre suo, ex *Amitta* primogenito *Sigismundo Zagorski*, tempore nocturno transiens Ecclesiam præfatam, vidit lucem magnam, per rimulas & fenestras egredi usq; in áèra, quam quidem inspicere præ fulgore & timore non poterant: supponentes Cælum ipsum cum Luminum senatu descendisse. Miraculum juramento comprobavit, 1641. anno, confirmans: *quia lux venit in mundum.* Ioan. 1.

Anno Domini 1641. Ipso S. Pentecostes nocte, *Generosa Domina Catharina Olßowska*, Capitanea Tuchoviensis, circa medium noctis à *Magnifica Isabella Broniowska*, de *Zabłędza* redux, ingentem fulgorem ex Ecclesia Miraculosæ Imaginis, per fenestras egressum; ut omnia arborum folia numerari potuerint, non sine timore intuebatur: arbitrabatur à Luna versùs fenestram, protensam esse lucem: sed interim oculos in Cælum conjiciendo, lunam sub nebuloso cælo minimè vidit. Itaq; novitate Miraculi, cum sua assistente familia, perterrefactâ, quantocyùs domum accelerat: jamq; proxima Curiæ Tuchoviensi appropians, in alteram partem Ecclesiæ, conjecit oculos, ac eundem splendorem iterato cum stupore vidit. Super quo lumine testes oculati jurarûnt, nempe: *Stanislaus Wojakowski*, M. D. *Praclai Broniowski* famulus, *Iacobus Haraby*, auriga

ejus-

ejusdem Nobilis Dominæ *Anna Białobrzeſka*, pediſſequa, & *Regina Szoſtakowiczowa*, Civis Tuchovienſis, qui omnes ineffabilem hunc ſpectarûnt ſplendorem, affirmantes, quia viderunt *quaſi ſpeciem ignis ſplendentis*, Ezech. 1. Eccleſiamq; DEIPARÆ Clariſsimam : *& ſplendor in circuitu ejus*. Ezech. 1.

Eandem mediam noctem Famatus *Albertus Artwiga*, Conſul Tuchovienſis, inſomnem ducens, tædio quodam inſolito correptus, anxius & meditabundus, ne pecora infortunium incurrerent, ſurgens è ſtrato, hortumq; domui contiguum perambulans, vidit nubem valdè ſplendentem, circa Eccleſiam Miraculoſæ Imaginis ; ut è ſplendore tam præclaro; *Apiarium* in horto ſuo, & circum id omnia perfectiſsimè (obſcura protunc quamvis nocte) conſpexerit. Cùmq; longitudinem hujusmodi ſplendoris notaſſet valdè exceſsivum ; àdvertit hujusmodi Cæleſtem lucem, ab ædibus Marianis, ad Parochiale Templum procedentem, quam quidem Patribus noſtris narrando, ait : *Omnes vos filij lucis eſtis*. 2. Theſs. 1.

Anno 1641. Sabbatho præcedente Dominicam ſecundam Adventûs Domini. *Albertus Suſnarowſki*, Vir boni teſtimonij , de proxima villa *Piotrkowice* Tuchoviam , horâ noctis ſecundâ veniens, notavit Cæleſtem flammam, longè lateq; diffuſam, quæ inſtar ingentis ignis, non tantùm ÆDEM MARIANAM circumcinxit ; ſed etiam totum cæmeterium còòperu-

it, ut omnia folia arborum numerari potuerint. Dumq; pigriùs ad tam præclarum conaretur accedere spectaculum, luminis horrore correptus, subsistere coactus est, quò ad primũ flamma extenuari, ad ultimum elabi ex oculis spectatoris cepisset. Verùm Vir ille Cælesti repletus prodigio, illustres Magnæ Parentis gratias, in tenebris silentij abscondere non potuit: sed publico testimonio, super candelabrum posuit, ut lucerent omnibus Augustæ Virginis cultoribus, exclamans: *circumfulsit me lux copiosa.* Act. 22.

Anno 1641. Nocte quadã *Simon Woyciechowic*, Pictor Tuchoviensis, duas Filias ad Molendinum expedivit, *Catharinam* annorum 18. & *Annam* annorum 16. Quæ præfatæ Virgines, devotionis gratiâ obvertentes se pro salutatione Angelica, ad Ædes Miraculosæ Imaginis, viderunt cum timore tam ingentem splendorem subitò è fenestris prorumpi; ut recedere cogerentur: quem quidem splendorem durantem, etiam reduces spectarũt, non sine accensa devoti pectoris flammâ, dicentes: quia *Lumen refulsit in habitaculo* MARIÆ. Act. 12.

Anno 1643. Honesta *Regina Strapina*, è suburbio Tuchoviensi, nocte feria tertia Pentecostes, vidit lucidissimum lumen è fenestris, foribus, & tecto Ecclesiæ Miraculosæ Imaginis egressum: quem quidem splendorem iterum eodem anno 1643. nocte præcedente Festum Nativitatis Beatissimæ Virginis MARIÆ notavit, ac toti proclamavit Orbi. Vi-

Visa quoq; non semel è Cælo, excessiva lux in Sacras Ædes prolabi, totumq; tectum, ac ipsum Cæmeterium circumambire. Cælestium enim Luminum faces necesse est assistere Exortæ in tenebris *Stellæ Matutinæ*, de qua supremum Lumen de Lumine, plenum gratiæ & veritatis egressum. *Ambulate dum lucem habetis.* Ioan. 12.

Quod si Pòëta triumphales ignes ejaculatoriô celebrat calamô:

Ignibus accendit Victricem Scævola dextram
Scilicet in tenebris ne latuisset Opus.

Nos incombustum Visionis Rubum MARIAM, eò intueamur ardentiùs, quò inexstingvibili puritatis igne refulget clariùs. Rogus est; sed victima deest: nos igitur *abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis*: & ne in tenebris lateat opus Virtutis nostræ; frigida ad immolandum deponamus corda. Hæc est illa Castitatis gemma, quæ in corona Regni Poloniæ, tantò pulchriùs & eminentiùs desiderat renitere; quantò abjectiùs & obscuriùs commune pallet diadema Regni. MARIA adamas est: sed cremante ludit in igne: quinimò divina summæ Bonitatis flamma est: DEVS etenim summè bonus, ne in tenebris lateat ipsiùs divinæ misericordiæ opus; his cœlestibus faculis MARIAM ostendit, monstratquè Matrem ac Reginam labantis Regni Poloniæ.

O decus & ſplendor Virginum? *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent.* Can. Zac. Luc. 1.

O D E.

IN *ſole* Solium Regium
VIRGO tuum locâſti,
Tali dierum Principe ,
Armata VIRGO fulges:
Aut ſi ſcabellum quærimus?
Regina noctis exſtat.
Quæ lucis Imperium ſuum
Deponit atq́ Stellas
O VIRGO! Sole pulchrior!
Sereniorque Lunâ.
Fulgens in Agni Lumine
Repelle Capricornum.

Sed & Lectorem ad Cæleſtes odores invito.

Anno 1640. Contigit quòd per octo hebdomadas perpetuus ſuaviſsimusq; odor ſingulari ſuavitatis dulcedine, naturam ipſam excedens, Sacras Ædes Miraculoſæ Imaginis impleret ita; ut dum fores Eccleſiæ aperirentur, certatim ad eum hauriendum, confugerent advenientes. Meritò Eccleſia per os Salomonis ad MARIAM: *Trahe me, poſt te curremus in odorem.* Cant. 1. *Emiſsiones tuæ, Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Cant. 4.

ODE-

ODE.

CRedimus VIRGO redolere Myrrham,
Credimus Virgo redolere nardum,
Principem Florum quoties premente amplecteris ulnâ.

Mella per campos sua fundit Hybla;
Aut Palæstini remeant liquores,
Parvulus labris quoties venustis
Oscula figit.

Tantus haud Cypri, viridisq; Cretæ
E botris stillat, liquet atq; succus,
Quanta maternis fluit è racemis
Nectaris esca.

Quicunq; igitur ad has Sanctas Ædes Marianas, tanquàm ad Propitiatorium divinum accedunt, procul dubiò Domum DEI & Portam Cæli ingrediuntur, deprædicantes sanctificasse Tabernaculum suum Altissimum, in quo Regis Reginæq; Cœlorum oculi aperti, & aures erectæ ad Orationem Populi. Ipso se Domino testante: *Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit Nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus* Libr. Paralip. 7. Cujus Ianua, *bonorum operum clavibus aperitur.* S. Aug: Serm. 252. de temp.

Sed his Cœlestibus perspectis fulgoribus, ad tenebras mortis procedamus, tumulos, & Claustra mor-

talium cadaverum reſerabit calamus, in quibus vitæ partum, in victimam honoris, & immortalem Laudis coloſsum erectum inſpiciemus.

CAPUT IV.

Mortui reſurgunt.

TRophæum mortis præſentans vitæ Parenti, vix ingemiſco, at ecce redivivam è tumulis prædam recipio. O gratum ſpolium! de Vita loquamur ergo, viventiumq; Matre, quâ jubente reviviſcunt mortales. Aut ſi condignis hæſitamus in præconijs; clariores clamabunt in laudes, qui mirabili tuba DEI à gravi mortis lethargo reſuſcitantur. Clementior hæc *Virga Ieſſe*, Virgâ Moyſis! quòd ſanare, non percutere, reviviſicare non occidere noverit, attendite mortales.

Anno 1602. *Annæ Sowina*, filia *Sophia*, dùm cum præfata Matre ſua, in villa *Szydłowa* habitaret, ante Feſtum Sanctæ Margarithæ Virginis & Martyris, prolapſa eſt in Piſcinam, & ſubmerſa nemine ſciente: Mater lamentabunda filiæ ſuæ abſentiam, per horam inter vicinos excurrens, deplorabat anxiùs: Tandem vicini exanimem, & aquis ejectam, & ſuper natantem advertunt filiam, flebiliq; Matri funeſtum denuntiant funus. Illa vix extra ſe rapta, protinùs ut lacrymantibus oculis inſpexit cadaver; verâ fide exanimem

nimem filiam, vehiculo humerorum suorum imponens, domum deportat, & *viventium Matri*, DEIPARÆ Tuchoviensi recomendat. Res amore & admiratione digna! exanimis cum stupore præsentium *surrexit Puella: & exijt fama hæc in universam Terram.* Matt. 9. Miraculum Mater juramento comprobavit Anno 1641.

Anno 1630. *Sophia Sękowa*, Tuchoviensis, fovens infantem in Lecto, obdormivit: post evigilans, advertit absentem esse infantem: dumq; eum supponens, quia ex lecto decidit, anxia quæreret in terra, & non inveniret, altiùs ejulando, diligentiùs quæsivit. Tandē eum in extremitate Lecti, sub pulvinari suffocatum, & pedibus conculcatū non sine clamore, extraxit. Quē fascijs resolvendo, & hortum ingrediendo, versùs Ecclesiam Thaumaturgæ Imaginis sese obvertendo: Virginem (Quæ in Adā originalē mortis humanæ culpā ignorat, quinimò pedibus astus mortiferi serpentis conculcavit) supplex exorat, ut perditam infans recipiat vitam. Dumq; in oratione gemitum protenderet mulier pro infante: *revixit Spiritus ejus.* Gen. 45. Super Miraculi veritate, præfata mulier juravit.

Anno 1634. Puer septennis *Agnetis Kierska*, de Kielanowice filius, inter Pastores supra littus fluvij *Biała*, cum altero puero diu colluctans, & insaniens; tandem ab eodem incautè detrusus in fluvium, propter aquæ profunditatem illicò submersus est,

plus

plus horâ in aquis existens. Clamore facto accurrentes messores, *Ioannes Markiewic*, cum Fratre *Stanislao*, depositis vestimentis, in aquam sese immittentes: & vix post trinam investigationẽ, præfatus *Ioannes*, aquis suffocatum extraxit. Extractum multi revivificare conabantur, idq; tribus horis; sed frustratâ operâ. Trophæum mortis præsentantes MARIÆ, *mare mortuum* calcanti, statim vivum Puerum receperunt. Cùmq; postea à Reverendo Patre Capellano interrogaretur, parve quid tibi videbatur submerso? ille per fata in oracula permotus, *quasi in ponte* respondit *starem. Revixit itaq; homo & stetit.* 4. Reg. 13.

Anno 1635. *Sophie Kosolowna* ex *Olpinij*, enixa infantulum mortuum, eum parens uterq; ut erant in DEIPARAM devoti, ad Imaginem Miraculosæ DEIPARÆ Tuchoviensis offerunt: qui statim animatus, & ritu Christiano in Filium Ecclesiæ sanctæ regeneratus est: & post triduum in obitu innocentiæ libro Vitæ adscriptus.

Anno 1637. In Festo Visitationis Beatissimæ Virginis MARIÆ, quædam Mulier de Villa *Olpinij* accelerat in magno hominum concursu, ad fenestram Sacristiæ Ecclesiæ Miraculosæ Virginis, præsentans infantem *Adm. Reverendo Patri Fausto Vnikowski*, necnon reliquis, ad clamoris excessum accurrentibus dicens: scitote boni Sanctissimi Patris BENEDICTI Filij, hujus loci Custodes, per DEVM hoc; quia hic infans,

infans, ex gravi infirmitate mortis ſpoliuṁ factus fuerat: quem (gravi doloris exceſſu correpta) dum poſt horam & ultra, admirabili Benedictæ Veſtræ DEIPARÆ Tuchovienſi ad revivificandum offerrem, ſtatim revixit: unde illum ex Miraculoſa methamorphoſi, in vitæ trophæum mutatum, vitæ Parenti produco: novamq; Prolis benedictionem à *Benedicta Matre* depoſco.

Anno 1640. *Agnes Gorlicka* Civis Tuchovienſis, infelici puerperio, Infantem mortuum peperit. Maritus dolore conſternatus, ex prole in pulverem reverſura & umbram: infelicitatis ſuæ partum Auroræ Vitæ, MARIÆ recommendat Tuchovienſi: qui poſt paucas horas vitæ lumen hauriens, ſurrexit, diuq; ſuperſtes admirandæ DEIPARÆ teſtimonium egit.

Generoſa Domina *Elizabeth Stadnicka Iordanowa* de *Zakliczyn*, legitima Generoſi Domini *Petri Stadnicki* de *Lichwin* Conjunx, diſceſſerat poſt partum, pro introductione ad Eccleſiam *Pleſnenſem* cum infante: interim infans pulvinari, quo obvolutus fuerat, ſuffocatus eſt: à lamentabunda Matre, in gravi ejulatu, Reginæ, *cui omnia vivunt*, ad Miraculoſam Imaginem Tuchovienſem oblatus, revixit. Miraculũ juramento comprobavit *Alexander Stempkowic*, oculatus teſtis, Anno 1641.

Anno 1641. Honeſta *Regina Ręczkowa* Civis Tuchovienſis, juravit in eodem actu Commiſsionis,

F quia

quia soror ipsius germana natu minima, cùm fuisset triennis, & sese in vase aquis pleno leviter inspexisset. in illud incidit, & aquis suffocata fuit: Sed in magno lamento, Divæ Virgini Tuchoviensi, Mari gratiarum oblata, vitam & spiritum reassumpsit, mortisq; naufragium pertranavit.

Contigit etiam Anno 1641. quòd honestæ *Dorotheæ Szymonka*, Civis Tuchoviensis Puer, annorum quatuor, incautè perambulans, in piscinam in medio Oppidi profundissimè prolaberetur. Quem *Adam Gorlicki* Civis Tuchoviensis, ad primum nuntium, statim depositis vestimentis, se in prædictas aquas immittens, in ijsdem quæsivit, & extraxit exanimem: tradiditq; *Alberto* Prætoriano Tuchoviensi. Quòd miserabile fatum, postquàm Matri denuntiatum esset, illa præ amaritudine cordis in terram procidens, supplice brachio cælum molestans, in summo fletu totum precabatur Oppidum; quatenùs omnes, qui ad clamorem accurrerunt, orent; ut ope misericordiæ MATRIS Tuchoviensis, puer spiritum reassumat. Audientes igitur, tenerrimâ compuncti compassione, flexis in terram genibus, tamdiù Clementissimæ supplicârunt Virgini, donec exanimis, post unam horam, sangvine ex naribus & ore perfuso, paulatim ad se rediit, & cum stupore præsentium *surrexit à mortuis.* Matt. 14.

Anno eodem. *Adam Gorlicki* Civis Tuchoviensis

ensis juravit, quia filius ipsius in Fluvio *Biala* submersus & exanimis, mortis Cymbâ, ventorum namq; remigiô ad littus appulsus; dum oblatus esset coram Miraculosa Imagine prædicta, ex clementi DEIPARÆ bonitate restitutus sit ad vitam. Germana etenim soror conjugis ipsius, dum præfatum puerum videret in fluvium prolabi, magna voce vociferavit: O *Sanctissima VIRGO! adsis in auxilium sorori meæ.* Tandem nuntiavit hoc, præfato *Adamo*, qui cum uxore sua accurrens, puerum exanimem ex littore accipientes, cum summo fletu obtulerunt Divæ Tuchoviensi, supplicantes, ut illa Quæ naufragans sæculum perire non permisit, filium aquis deletum resuscitare dignaretur; statim cum gravi admiratione accurrentium, vivum receperunt, exclamantes: MARIA *suscitavit eum à mortuis.* Act. 13.

Anno 1670. *Zachariæ & Sophiæ Woyćiechowsciorum* infans, exanimis in lucem editus, oblatus coram Diva Tuchoviensi, post tres horas spiritum hausit, ac lucem à Fonte Luminis, & Matre supereminentis Principij Vitæ humanæ.

Anno 1675. Infans *Thomæ Sygner* & *Annæ* Conjugum, de Villa *Bynarowa*, incautè à Parentibus in lecto conculcatus, & suffocatus, oblatus coram prædicta Miraculosa Imagine, revocatus est ad vitam.

Anno 1667. Die 8. Decembris, Generosus Dominus *Petrus Czarnecki, de Villa Isspie*, sub Oppido

Woynicz, juramento recognovit, quia infans ipsi ex-gravi infirmitate decedens, mortalitatis debitum immaturo persolvit flore: pro cujus funere dum pulsaretur, & ipse cum uxore sua, vicarijs in lachrymis & ejulatu modum habere non posset: ecce quidam protũc Presbyter, cur hic ploratus protenderetur quæsivit? vanosq; luctus (dum eadem omnes expectet meta) exposuit: compassione tandem motus, lacrymabundis persvadet Parentibus, quatenus mortuum Infantem Viventium Matri Tuchoviensi offerant: persvasi Parentes dum supplice brachio DEIPARAM solicitant, mortuus revixit. *Et resedit, qui erat mortuus.* Luc. 7.

Anno 1667. Agnes *Ioannis Kozubski* Vxor, de Villa *Dambrowa* edidit mortuum infantem: Vir ejus dolore correptus, una cum reliquis Matronis dum mortuum Divæ Tuchoviensi præsentavit, vivũ recepit.

Anno 1677. Quorundam devotorum Parentum infans, inter vescendum, incautô suffocatus osse. & jam exanimis multo deploratus lamento, Divæ Tuchoviensi ad reanimandum redditus, revixit. Præsentatus eodem Anno, die 10. Septembris,

Anno 1715. Die vero 2. Iulij, *Anna Kopczowa*, de Villa *Biskupie*, jure jurando recognovit in præsentia *Adm. Reverendi Patris Amandi Zawadzki*, Capellani SS. Rosarij, quòd nuper mortuum infantem peperit; ex quo casu consternata, puerum exanimem admirabili committens Tuchoviensi, reanimatum accepit

accepit: qui nimirum in regenerationis lavacro, nomine *Iacobi* insignitus est.

Anno 1715. Præsentata est à Cognatis suis veritate dignis, & dogmatibus fidei benè instructis, filia annorum quatuordecim, dicti *Frißbierek* de Villa *Roza*, qui jurejurando recognoverunt, quòd hæc puella dum semiduorum esset annorum, nemine sciente submersa fuerit in vase aquis pleno: tandem post longum spatium, sine spiritu in aquis supranatans inventa est: multis lamentis à Parentibus deploratam filiam multi revivificare conabantur; sed operâ frustra adhibitâ, mortuam Matri viventium Divæ Tuchoviensi in lacrymis cum sacrificio Missæ offerunt; mira res! reddidit Matri filiam DEI MATER, puella revixit, Parentumq; suorum animum satis hilarem reddidit. Depositio Miraculi facta in præsentia *Adm. Reverendi Patris, Domini Alani Gniadkiewicz*, præfatæ miraculosæ Imaginis Capellani, nunc autem Præpositi & Prælati Tuchoviensis.

Anno 1715. *Nicolaus Mikrut*, cum Consorte sua *Magdalena*, de Villa *Olpinij* Conjuges, recognoverunt coram *Admodùm Reverendo Patre Alano Gniadkiewicz*, Ordinis Sancti BENEDICTI præfatæ miraculosæ Imaginis Capellano, moderno autem Præposito Tuchoviensi, quòd dum quâdam vice pergerent ad nuptias invitati, & secum quatuor hebdomadarum puerulum pulvinari involutum deportarent, accidit,

ut dum illum post tres fermè quadrantes è pulvinari & fascijs vellent resolvere, suffocatum lamentabundis reperirent oculis. Sed ab adstantibus & Cognatis mira fieri Tuchoviæ, ad prodigiosam DEIPARÆ Imaginem narrantibus, mæsti Parentes, animo & fide erecti, quamprimùm, puerum sine spiritu, totum lividum, & enervatum, communi consolatorum voto viventium Matri, cum sacrosancto Sacrificio Missæ offerrent, mirabiliter revixit. Votorum & munificentiæ memores supradicti Parentes, Tuchoviæ se gratos Consolatrici afflictorum præsentârunt, cum jam vivo infante.

Reliquorum verò tumulus, felicem vitæ partum admirabiliter enixus, MARIAM viventium MATREM, gloriosô deprædicet sepulchrô, cum hoc *Divi BERNARDI* inscripto immortalitatis titulo. *Data est MARIÆ potestas in Cœlo & in terra, & in manibus ejus vita & spiritus nostri.*

ODE.

PAucæ sunt hominis dies:
Nam dum vita, brevi in pulvere scribitur,
Devexatur Etesijs.
Vmbra est quòd nituit, sole sub aureo.
Non omnis fluvius favet:
Nec semper lepida ut poma natabimus:
Nasci contigit, & mori.
Suspirat medijs vita doloribus. *Mor-*

Mortem nec Medicus fugit.
O Medicina DEI, Virgo DEIPARA!
Cujus sola potentia est,
Curare exanimem mortis Imaginem.

CAPUT V.

Extincta Vacca revixit.

IN solemne honoris Mariani holocaustum præsentem adduco Vaccam: Iungamus interim rationali mortalium consortio, miracula etiam in brutis animalibus cælitùs facta: ad ejus quidem honorem; qui omnia subiecit pedibus hominũ, *insuper & pecora campi.* Iam ergo calamus lacrymis tinctus, fervidiores in DEVM excitet affectus.

Aliud enim inauditum, adeoq; admirabile fuit, quòd DEVS Omnipotens (memor quia quondam inter irrationabilia animalia in præsepio, Regale Capitis sui diadema reclinavit, quando ex illibata Virgine humanam assumpsit naturam) per Genitricem suam operari dignatus est, de *vacca Mariannæ Gaykowa,* de Villa *Siedlisska,* quæ scilicet *vacca* tanquàm præcipua substantiæ importantia, præfatam pauperculam alebat mulierem, interim ex gravi morbo ante solis occasum extincta. Præfata mulier, inops consilij, humanis jactata calamitatibus, extinctam vaccam, per totam

totam noctem deplorat, amarissimô suspiriô suam perorãs fortunæ jacturam, ac summam ingerens pau- pertatem, Reginæ Cælorum, Divæ Tuchoviensi: Vir ejus frequenti molestatus ejulatu, frustra inquit gemitum damus? cras extrahenda de loco, projicienda est extincta vacca in foveam, ac sepelienda (foveam enim vir ejus effodit) illa autem Mulier devota, in fide perseverans, supplicare non cessat in lacrymis, Admirabili Tuchoviensi: manè igitur facto, audivit præfatam vaccam boantem: statimq; in stuporem agitata, maximo timore Virum suum, ad audiendum provocans, ambo ad locum pergunt, ubi præfata vacca heri jacuit exanimis, & ecce eam *per Misericordiam DEI*, vivam reperiunt. Vbi in genua procumbentes, mirabilia DEI, DEIPARÆq; deprædicârunt. Super quo miraculo, præfati Conjuges, anno 1641. appositis duobus supra Imaginem Crucifixi digitis, jurârunt coram *Reverendissimis Commissarijs*: Verùm calamos & verba ad te pertinax obverto hæretice: si sacris fidem denegas Imaginibus, & ut credas prodigiosos DEIPARÆ favores, etiam *in vaccis populorum* mira patrasse: sæcula hanc solam resuscitatam *adducant ad te vaccam rufam*. Numer. Cap. 9.

O D E.

TAurus sidereus, cornibus aureis,
Et laurô niteat Pegasus inclytâ,

Qui

Qui musis celebranda
Portent carmina Virginis.
Virgo! si stabuli Bethlemij memor,
Mordacis Boreæ frigora convocas?
Totus friguit Orbis,
Præter bina animalia.
Nam quando medio staret hyems foro,
Afflârunt calidos bruta favonios;
Ut Nati vagientis
Urant algida viscera.
Extinctis quibus heû reddere spiritum
Dignaris, celebrent Te pavidi greges;
Ad quorum rebôatum
Mundi Machina contremat.

CAPUT VI.

Duæ Mulieres, fulmine ictæ revivificantur.

LAurus Salutis MARIA est, Mater Tonantis: quot mystica gratiarum folia, tot inexplicabiles clypeos, contra fulminum ictus numeramus. Umbraculum itaq; Regni Poloniæ meridianum, & tegimen ardoris, sub hac mirifica gratiarum celebramus Tabula. Anno 1629. *Feliciana Baranionka*, Generosi Dñi *Samuelis* de *Kielanowice Kielanowski* ancilla, sub tonante cœlo, fulmine icta: oblata ad prædictam Miraculosam Imaginem, cum cerea candela ejusdem

magnitudinis, cujus erat cadaver, elapsis tribus horis, dum de Transfiguratione Domini sacrificium Missæ legeretur, revixit. Miraculum præfatus Dominus, juramento comprobavit: ex cujus manu scriptis reperitur, quòd fulmen repentè irruerit in aulam ipsius, ac tres Mulieres circa diluenda dolia commorantes prostraverit: duas fragore correptas vix revivificarunt. Tertiam verò prænominatam Felicianam nullo modo valuerunt; donec ex ante actis miraculis, fide & animo erectus præfatus Dominus, eam Admirabili *Lauro Salutis*, DEIPARÆ Tuchoviensi recommendasset; quæ cum stupore resurrexit, & spiritu vitæ animata, quòad vixit, auxiliatricis suæ diploma gratiarum divulgavit. *Benedicite fulgura & nubes Domino.* Dan. 3.

Anno 1664. *Sophia Iagodźinska* de *Paczanowa*, sedens ad Caminum, ex fragore fulminis, quod in illum irruit, exanimis facta, post multa frustratoria media, cum magno lamento à Cognatis oblata ad prædictam Miraculosam Imaginem, resurgens, fatalem corporis sui cladem evasit. Stupeant hæretici! *Dominum Dominamq́ formident adversarij ejus*: etenim *super ipsos in Cœlis tonabit.* 1. Reg. 2.

O D E.

PVgnarunt jaculis, mors & amor suis:
Tandem vicit amor, flamine fortior,

Quòd

Quòd pallentis adurat
Mortis frigida fulmina.
Laurus VIRGO virens! fulmina nesciens:
Quem Tu laurigero tegmine protegis,
Transit dextra Tonantis,
Umbræ, spectraq; transeunt.

CAPUT VII.

Cæci vident.

SI lumen hausimus ex visitante nos Oriente ex alto; beneficiorum radios abscondere non licet. Si Fontis patentis, MARIÆ inquàm gratias accepimus, alijs non communicare, improbitas esset. Sed emphasim honoris DEIPARÆ suppleat Ecclesiasticus: nonne MARIA Sole & Lunâ pulchrior? *illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam & benedictionem.* Cap. 31. Verùm ut plura videre liceat, etiam cæco impetu ad MARIAM confugite; illuminabit.

Anno 1619. Generosæ Dñæ *Krukienicka* de *Karwodrza* filius, ex gravitate morbi, acredineq; humorum mordaciũ, utroq; lumine captus, miser Thaumaturgam Tuchoviensem Virginem, de qua *Sol Iustitiæ* egressus, cum Mœsta Matre anxiùs solicitans perditum recepit lumen, sat illustri recreatus miraculo: & exinde *vidit in visu manifestè.* Act. 10.

Anno 1629. Vir quidam simplex ac devotus

de Villa *Olpiny* lumen triennio non videns, quàmprimùm cæcitatis suæ tenebras Virgini, de qua *Stella Iacob exorta*, Admirabili Tuchoviensi, subjecisset: respexit. Iuramentum insuper super his, deposuerunt, Famati *Artwiga* Consul Tuchoviensis, & *Martinus Chrzęstek* similiter Tuchoviensis.

Anno 1633. Famatus *Ioannes* Civis & Aurifaber *Cięßkowicensis*, ex violentiori morbo, luminibus capiebatur: interim voto emisso ad prædictam Miraculosam Imaginem, manè expergefactus à somno, matutinam hausit lucem, ab *Aurora vitæ nostræ*, & Oculis Misericordiæ suæ MARIÆ, gratum sese, oculosq; receptos Tuchoviæ præsentavit, ac dixit: MARIA *aperuit oculos cæci.* Ioan 11.

Anno 1634. Honesti viri, *Thomæ Łabuda* de *Kolkowka* Consors *Elizabeth*, ex plicæ morbo visum perdidit: sed à Confessario se ægram visitante, admirabili autem Tuchoviensi Virgini oblata, expletâ Sacrâ Exomologesi, dum sacra refici deberet synaxi, derepentè respexit, præsentiamq; Incarnati Verbi, sub velamine Panis, grato spectans affectu, devotiùs salutavit & adoravit. MARIA nempe *dixit illi respice.* Lucæ 18.

Anno 1634. *Regina Bednarka*, Matrona honesta, sed visu orbata: coram Thaumaturga DEIPARA Tuchoviensi, perditum recepit visum, lumenq; cœli vidit, quamprimùm *Cœli Reginam*, suum in adjutorium inclamasset.

An-

Anno 1640. Honesta *Anna*, Filia *Gregorij Helßtar* in *Rozemberg*, per sex hebdomadas visu destituta fuit: ad quam dum cum venerabili Sacramento advenisset R. D. Commendarius, eamq; Divæ Tuchoviensi obtulisset: illa, acsi MARIAM ad se dicentem audivisset, *audi filia & vide*; Psalm. 44. præsente illo respexit, Divinũq; intuebatur Lumẽ. Miraculum hocce depositũ est ab ipso R. Domino Commendario.

Anno 1641. G. Dñæ *Elizabeth Morska*, de Faglorum familia, filia *Cæcilia* unius anni cæcutiebat: sed ex persvasu in somnis facto, postquàm Divæ DEIPARÆ Tuchoviensi recommendaretur, confestim vidit: *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem* DEO. Luc. 18.

Anno 1642. *Felix Orzechowic* ex Oppido *Cięßkowicensi*, per hebdomadas quinq;, oculorum pressus ærumnâ, dum quadam vice, à paupere Xenodochiali, Cœlestes DEIPARÆ Tuchoviensis emendicaret favores, visum recepit. Ipse *Felix*, felicior factus, miraculum, pedester Tuchoviam adveniens, deposuit: ille nimirum *qui vidit, testimonium perhibuit*. Ioan. 19.

Anno 1643. *Nobilis Virgo Radwańska*, graviore morbo decumbens, luminibus privata fuit: igitur dum ad prædictam adduceretur Imaginem, ac in hæc verba gemitum protenderet: *dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum*. Psalm. 37. visu perspicaci clarificata est.

Anno 1659. *Gregorius Wilkowic*, palam in Ecclesia Miraculosæ Imaginis professus est; quia dum *Krosnæ* in studijs degeret, oculorum ærumnâ corripiebatur: sed ope Admirabilis DEI PARÆ Tuchoviensis, divinũ *Alpha & Omega* propitiũ habuit, & curatus est: Tuchoviamq; properans, cæcorum (quos MARIA curavit) *vidit turbam multam*. Matt. 14.

Anno 1675. *Ioannes Wilczek* de *Salowa* prope *Gribow*, à duobus annis cæcus: post gravem jacturam, Tuchoviam devotiùs coram Admirabili Imagine altiùs ærumnam suam ingemiscens, post *Elevationem Solis Divini* tempore Sacrificij Missæ, tenebras amisit, non sine pia exclamatione, & lacrymis spectantium ac dicentium: *Dominus illuminat cæcos*. Psalm. 145.

Anno 1675. Nobilis *Casimirus Kostęński*, recognovit, per annum cum gravi expensa, se fuisse visu orbatum; interim Augustæ DEI PARENTI tamdiu supplicasse, *donec respiceret & videret*. Thren. 3. Sicquè evasisse cæcitatis suæ tenebras, illuminante se miraculoso gratiarum lumine Divæ Tuchoviensis, Cujus opem anxius implorabat.

Martinus Ramusek, servus Gñsæ Dñæ *Broniewska*, toto anni spatio cæcus, coram Thaumaturga *Stella Matutina* Tuchoviensi illuminatur, & Anno 1675. præsentatur.

Gñsus Dñus *Stephanus Biernacki*, trium septimanarum lumen non videns, coram Thaumaturga Tucho-

choviensi, illustre videndi miraculum accepit, quòd quidem anno 1675. publicæ patefecit luci.

Ioannes Foli Vngarus, ex *Szaryßa*, cæcitatem suam multis lamentis *in Cœlum*, ad Astrorum Reginam Tuchoviensem transmittens, protinùs ut prodigiosè respexit, Tuchoviã properãs, receptos oculos, Oculis Misericordiæ MATRIS devotiùs infixit: *Gratiamq;* receptam, magnificè deprædicavit *Ioannes*. Añó 1677.

Gñsa Dña *Marianna Lanckoronska*, Capitanea Neocorciensis, incurabili oculorum ægritudine divexata, in ultima luminis pressura, illuminata est, à *Matre Lucis*, DEIPARA Tuchoviensi, ac receptos oculos in Argentea tabula reliquit expressos, anno 1677.

Ioannes Drost, Miechoviensis, factus cæcus, liber evasit, ad supplex suspirium in Divam Tuchoviensem, MARIAM duodecim Stellis Coronatam. Miraculum ipse fassus anno 1675. ipse quoq; *Ioannes gratiosior* factus est.

Recognovit Anno 1675. G. Dña *Sophia Boleßowska*, quia in uno oculo fuerat cæca, insuper supra eundẽ oculũ, carnem excessivam per modum pili pendentem vehementer indoluerat: sed ope Divæ Tuchoviensis *Cui Sol & Luna deserviunt per tempora*, utrumq; malum evasit.

Anno 1698. Infans cæcus, ex Vngaria advectus, & in scabellum Majoris altaris, coram prodigiosa DEIPARA Tuchoviensi, in multo lamento depositus, respexit

ſpexit tempore Sacrificij Miſſæ, quòd Am. R. P. Alanus Gniadkiewic, Benedictinus Tynecenſis, modernus Præpoſitus & Prælatus Tuchovienſis, pro eodem legit infante, hasq; DEIPARÆ beneficij grates inſcripſit

Per Te VIRGO potens, tenebrarum nubila cedunt,
Exortum, per Quam, Verum de lumine lumen.

Reſpicite & levate Capita veſtra, Luc. 21. *Erit enim vobis Viſio.* Iſa. c 19. *ducam cæcos in viam: ponam tenebras coram eis in lucem.* C. 42.

ODE.

QVòd ſit cæcus amor, luſeris Amphion!
Iam viſum recipit; totus amor videt:
Quò plus lumina cernunt,
Plus præcordia diligunt.
In Solis radio, palpebra figitur,
Et ſi quas lacrymas, flammeus excitat
Ardor: lotus ab unda
Surgit clarior Heſperus.

CAPUT VIII.

Muti loqvuntur.

SAtis cum DEO loqueris; ſi in ejus miris contempleris operibus: plus tamen audes; ſi cordis devoti ſigillum frangit lingva, magnificans DEVM, clametq; lapis de pariete viſcerum. Attamen ſi Verbum

bum Patris Incarnatum, Sapientia increata, clementem in loquelam prorumpit, silere competit, amare præstat, adorare necesse est mutæ seu ignoranti creaturæ: & antequam maximum Arcanorum D E I proferam Oraculum (seu Thronum Salomonis MARIAM, cathedramq; de qua altitudo Sapientiæ & scientiæ DEI, divina Regalis potentiæ Majestate protulit edictum, ut rationalis creatura tantùm audeat fari vel laudare, quantùm possit argumentum misericordiæ)admirabile loquelæ beneficium sequenti exordior recordatione.

Anno 1633. Nobilis *Anna Kozubska*, habuit infantem, ex cujus ore lingva intùs exulcerata, ad pectus usq; protensa pependit. Conturbati Parentes, eum Admirabili Tuchoviensi committunt, ac sanum recipiunt extenuatâ lingvâ: unde facilè ad loquelam postea eruditus fuit: Sicq; MARIA, *ex ore infantium & lactentiùm perfecit laudem, propter inimicos suos* hæreticos, *ut destruat inimicum & ultorem.* Psalm. 8. ac in hac fidei Palæstra, Religionisq; Palladio, *sapientia aperuit os mutorum, & lingvas infantium fecit disertas.* Sapien. 3.

Loquatur sequens Miraculum, narrentquè sæculis futuris, stupenda MARIÆ prodigia. Anno 1622. Prænobilis Dominus *Ioannes Lowczowski*, diutinô divexatus morbô, sidere percussam lingvam, & loquelâ destitutam, osq; contortum vehementer indoluit:

H Sed

Sed dum̃ ſegniter juvarent conſilia hom̃inum, divinũ interpellens adjutorium, advectus Tuchoviam, coram Miraculoſa Imagine, *Sede Sapientiæ*, perditam recepit loquelam, integra reddita ſanitate.

Anno 1675. *Stanislai* & *Catharinæ Terkowic*, legitimorum Conjugum de Villa *Lękawice* filia, à nativitate ſua muta erat: de cujus ligato lingvæ vinculo, mœſti Parentes dignoverunt; quando muta filia annorum erat quatuor. Multis in precibus oblata *Verbi Parenti* Divæ Tuchovienſi, coram Miraculoſa Imagine in loquelam erupit, Parentumq́; ſuorum gemitum in gaudia provocavit, acſi diceret: *relinquite infantiam*: Prover. 9. *in MARIA & in CHRISTO loquimur.* Cor. 2.

Anno 1695. *Tereſſia Białonka*, annorum circiter viginti, in Villa *Siary*, laborioſo *Paulo Ryba* inſerviens, annos duodecim muta, dum tempore Viſitationis B. V. MARIÆ (quo magnus hominum concurſus convenire ſolet) Tuchoviam adveniret, reptatimq́; per genua majus altare Miraculoſæ Imaginis, tanquàm Cathedram Verbi Divini circum ambiret, plantiſq́; Auguſtæ Cœlorum Reginæ devotiùs provolveretur, cum gaudio loquelam recepit. Cumq́; in reditu apud eundem Paulum in verba prorumperet, illum & omnem ejus familiam ſtupore affecit. Poſt hæc faſſa eſt, ſe eſſe de Villa *Lipnik*, & nomen illius eſſe *Tereſſia*, quam antea *Catharinam* ignoranter appellabant.

Et

Et cùm interrogaretur, quæ nam occasio loquelam ipsi ademerit? respondit: eam ex alto fortuito casu, quo ceciderat deperdidisse: quam ex clementia DEI-PARÆ Tuchoviensis restitutam accepit. Miraculum in Actis Consistorialibus Becensibus deposuerunt: *A. R. D. Martinus Bozek*, Curatus Łękovicensis, coram quo præfata puella confessa est formaliter; cùm antea muta, sæpiùs pro reconciliatione accedens, ex solis nutibus capax absolutionis non potuisset sufficienter judicari. Iuravit insuper *Paulus Ryba*, cujus superiùs mentio. *Omnes hi magna locuti sunt*, Psalm.37. *quòd hæc puella loquebatur rectè*. Mar. 7.

Anno 1713, Die verò secunda Mensis Iulij, personaliter comparentes *Iacobus Galik*, & *Hedvigis Kuterczykowa*, Incolæ Regni Vngariæ, sub juramento recognoverunt, quia nimirum puella illorum, annorum circiter sex, loquelâ destituta fuerat. Quæ res, dum Parentum animum valdè solicitaret, communi consilio, Filiam mutam Admirabili Tuchoviensi recommendant, mirum est: Puella in loquelam erumpens, Parentes gaudio implevit & admiratione. Miraculum hocce sub juramento depositum, in præsentia *Perillustrium & Admm. Rndorum Dńorum, Adami à Czeladźin Czeladźinski* Canonici SS.OO. Cracov. & Officialis Becensis: *Iosephi Iaśieński* Camenecensis Vnieoviensisq; Canonici, in *Zborowice* Curati, necnon aliorũ plurimorũ Cleri dignitate meritorũ protunc præsentiũ.

VIRGO, Tuas Laudes quæ posset lingva tacere?
Quas Incarnatum demandat dicere Verbum.

Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam DEO DEIPARÆq́, noli me condemnare. Iob. 10. Ad aras nonne prodigiosæ Virginis *aperietur lingva mutorum?* Isa. 35. Etenim Sapientia Patris æterni, in Virginali Cathedra sedens, *aperuit os mutorum.* Sap. 10. *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Marc. 7.

ODE.

SI Myron frontem labra Phydiasquè
Fingat & binos oculos Apelles:
Perditam vocem, nisi sola reddis
Virgo MARIA.
Nulla Te vocem Cathedramq́ Verbi,
Lingva nativô modulô tacebit,
Quam per æternum Lapis Angularis
Ipse loquetur.
Tu Thronus fulges Salomonis, alma
Seù DEI Sedes Sapientiarum,
Quâ Patris Verbum, inviolanda dicit
Iura per Orbem.

CAPUT IX.

Surdi audiunt.

AVribus nonne percipit obsecrationem nostram Au-

Augusta DEI MATER? Si quærimus, speremus, ut inveniamus: si pulsamus, expectemus donec aperiatur: Hoc etenim in loco *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: Saliet sicut cervus, claudus: & aperta erit lingva mutorum,* Isa. C. 35.

Anno 1620. G. Dñus *Hieronymus Łowczowski Dobek*, ex vehementi ægritudine, auditum amisit: oblatus ad prædictam Prodigiosam Imaginem, à Gña Dña *Burzynska*, eo momento sanus effectus, perfectè omnia, quæ in aula agebantur audivit: unde ex miraculi lætitia, cum stupore omnium, equum ascendens multis in lacrymis, Sospitatricis suæ, sacra limina, Tuchoviæ visitavit: ac ut memoria tanti exstaret beneficij, hæc omnia libro Miraculorum inscribi petijt: sanusq; è Tuchoviâ, ad propria cũ ingenti gaudio reversus est, deprædicans; quia Gratia MARIÆ *revelata est in auribus meis.* Isa. 22.

Anno 1636. *Bartholomæus Marćinek* ex *Lubcza*, ob humores crassiores quibus afficiebatur, surdus effectus, nihil planè per semiduos annos audivit: Vir ille ex simplicitate, ob defectum expensæ, medicorum neglexit consilia: instinctu interim divino, Divam visitans Tuchoviensem (quæ nunquàm aures obturat ad preces nostras) perditum recepit auditum, cum gravi quidem præsentium admiratione, qui benè illum noverunt surdum. Tunc certè *conticuère omnes, intentiq; ora tenebant:* quòd MARIAM *auris audiens beatificabat.* Iob. 29.

An-

Anno 1674. *Adm. R. P. Franciscus Złotnicki*, Ord. Min. S. *FRANCISCI*, quondam in Ecclesia Tarnoviensi eximius Cōcionator, ex gravi Corporis ægritudine surdus effectus, coram Diva Tuchov: curatur admirabili modo. Miraculum manu propria, post absolutum gratitudinis ad Aras ejusdem Auxiliatricis suæ pensum, scriptum reliquit: *auribus nostris audivimus.* 1. Par. 17.

Plures hoc vitio surditatis indoluerunt affecti: nulla tamen morbi malignitas, aut contumacia, coram salute Infirmorum prævaluit. Et quis non audiet, si *Leo de tribu Iuda* in ulnis MARIÆ quiescens, rugientis furores abjiciens, mitiori candentis Agni voce, totum repleat Ovile militantis Ecclesiæ dicens: *surdi audite, & cæci intuemini.* Isa. 42.

Surdior est ventis, & marmore durior ipso,
Qui tua non adamat VIRGO Potens opera.
Dum VERBO loqueris, mea sit vigilantior auris:
Dum mundus garrit, surdior esse velim.

CAPUT X.

Claudi ambulant.

GRessus hominum dinumerare, parcere peccatis, & concomites mortalium ac insectantes casus, Optimus DEVS hoc in Propitiatorio removere non cessat. MARIA invitat: sequamur ergo: sed vos pedes præsentate, quos MARIA fecit ambulare.

Anno 1618. *Bartholomæus Ioannis Tryſtak*, Advocati Tuch. filius, claudus & adeò fractus, adductus in fulcris ad Miraculoſam *Supremi Ducis Matrem*, & deſideratos recepit greſsus, & fulcris in teſtimonium tanti beneficij in eadem Eccleſia relictis, *exiliens ſtetit & ambulabat*. Act. 3.

Anno 1622. *Sophia Piaſeconka*, arido & indirecto totaliter decumbens per medium annum pede: ipſa quoq; inclinata, confugit ad illam Miſericordiæ MATREM, per Quã DEVS labentẽ mundũ erexit, obnixè cum conſternata ſua Matre petens validum incurabilis infirmitatis ſuæ adjutorium: nec fruſtratoriè ſupplicavit; nam ſupra omnem opinionem prodigioſo favore curata eſt, & *ambulavit coram Chriſto*. 1. Regum 2.

Perſimile huic aliud. Anno 1627. *Anna Sowina*, gravi pedum dolore affecta, medijs humanis fruſtrata, conſilijsq; deſtituta, adducta eſt ad prodigioſam Conſolatricis afflictorum Imaginem Tuchovienſem, quæ dum eſſet clauſa, reptatim majus altare circumeundo, doloresq; ſeptem Virginis, devota in DEVM commemorans mente, eo momento ſoluto dolore ſanatur mirabiliter. Ipſa quoq; poſt redditam DEIPARÆ gratitudinem devotionis, domum ſine omni ductore reverſa eſt, dicens: *Apud Dominum greſsus hominis dirigentur*. Pſalm. 36.

Anno 1631. Gñus Dñus *Albertus Chrzaſtowſki*, incu-

incurabili podagrico divexatus morbo, ut incedere amplius non posset, insuper calculô excruciatus, coram MARIA, prodigioso terrarum fulcro, utrumq; malum evasit.

Anno 1640. Gña Dña *Staßkowa* recognovit, quia ex gravi & incurabili pedum dolore, per biennium non incedebat: medijs derelicta, de *manu* Thaumaturgæ Tuchoviensis, prodigiosos accepit *pedes, & ambulavit in fortitudine.* 3. Reg. 19.

Anno 1642. *Anastasia Iaudzicka* genere Iudæa, sed aquâ Baptizmali ab aliquot annis regenerata, quodam itinere, fluvium *San* dictum transvadere non valens, à supervenientibus mercatoribus currui imposita, equis à littore sese proripientibus, decidit gravissimo casu, ac genu ex juncturis excessũ, confractũq; terribiliter ingemuit lamento. Vnde *Beciũ* adducta & medicorũ ope frustrata, Divæ Tuchoviensis inclamat auxilium: inde transvecta, & uno milliari ab Oppido Tuchow, à vectore derelicta, altiùs ingemiscit ad illam, Quæ *pedes* hominum eruit à *lapsu*: interim mirares! cœlitùs consolutis basibus & plantis sanatur, ac ipsa pedester Tuchoviam adveniens, fulcrum quo clauda inniti solebat, unà secum Clementibus DEIPARÆ subjecit pedibus: ac post persolutum DEIPARÆ cultum, cum gaudio domum reversa est, *& ambulavit in omni via.* 3. Reg. 22.

Anno 1646. *Petrus Borkowic* de Cracovia, ob

incu-

incurabilem pedem diù decumbens, *dexterâ virtutis* Divæ Tuchoviensis sublevatus, ex voto appromisso, ipse pedester ad sacram suam Adjutricem, multis obortis lacrymis pervenit.

Anno 1675. *Gallus* ex Oppido *Dembicensi*, claudam suam Vxorem ad præfatam Miraculosam Imaginem advexit: mille DEIPARÆ suspiria, pro illa in lacrymis fundendo: sed tempore Sacrificij Missæ curata est, relictis fulcris in eadem Ecclesia, glorificans DEIPARAM, dicens: *Pes meus stetit in directo, in Ecclesijs benedicam Te Domina.* Psalm: 25.

Anno 1715. Ven: ac Rñdus D. *Matthæus Kozubski* ex Oppido Vngariæ *Vjhely* dicto, Presbyter Græcæ fidei, longo pedis cruciatu detentus, Medicorumq; frustratus auxilio, ob defectum laboris & officij explendi, privatur beneficio; utramq; igitur jacturæ ingemiscens calamitatem, Divæ Tuchoviensis se se committit adjutorio, ac mirabiliter *in Nomine IESV surgere & ambulare* jubetur, necnon supra spem omnem amisso beneficio restituitur. Qui memor tam præstantis auxilij, pedester fermè triginta milliarium iter Tuchoviam aggressus, gratum se DEO, DEIPARÆq; præsentans, domum reversus est. *Vade, fides tua te salvum fecit.* Luc: 17. *Cæcos & claudos introduc huc.* Luc: 14. *Saliet sicut Cervus claudus.* Isa: 35.

ODE.

INfirma mundi desero: præpetem
Per astra pennis tollite concitis,
Nubesq́, ventiq́ & serene
Concomitare Phœbe.
Omnis viator claudicat, arduis
Quicunq́ terris hæsit: at ambulat
Interritus, quemcunq́ Virgo
Stelliferis radijs reduxit.

CAPUT XI.

Bos, vacca & equi claudi, curantur.

MAgis hoc, inter mirabilia DEI admirandum, quòd DEVS summè bonus, qui cuncta mortalium gubernat, etiam irrationabilia animalia misericorditer sanet, spiritumq; in eis confractum, viresq; confirmet deficientes. Inter sequentia Prodigiorum munera, calamus ipse flere videtur.

Anno 1635. Laboriosus *Ioannes Maida* de Villa *Vnießowa*, dum vice quâdam ex alto monte ligna veheret, currus multitudine lignorum onustus, anfractibus quoq; itinerum irritatus, tractorem bovem oppressit, pedemq; confregit. Vir pauper, casu inopinato cōsternatus, interitum bovis exclamat. Multi autem provectiores Patresfamilias vicini, infelici

com-

compaſsi ſorti, ſvadent, qvatenùs bovem mactet antequàm extingvatur. Ille nihilominùs diſcommodum futurum conſiderans, fractum bovis pedem, admirabili DEIPARÆ, cui quondam bos & aſinus in Bethleem ſtabulo famulabantur, Tuchoviam recommendat. Mirabile eſt: Bos vulnere ligato ſurrexit, ſanusq; effectus eſt, cum gravi multorum admiratione nullatenus *bovem cecidiſſe in via.* Deut: 22.

Anno 1630. *F. Piotrowic* Suburbani Tuchovienſis Vacca, tempore hyemis, dupliciter pedem fregit, adhærente tantùm cute: oblata ad prædictam Miraculoſam Imaginem, tertia die incepit ambulare: *& ſic ibat in directum Vacca.* 1. Reg: 6.

Anno 1641. Nobilis *Valentinus Brodecki*, Româ rediens in Poloniam, Eqvum habuit claudum: quem dum tempore Sacrificij Miſſæ, circa Eccleſiam Miraculoſæ Imaginis juſsiſſet duci, peracta devotione ſanum hilariter aſcendit, ſtupore ac gaudio plenus. Nam Dominus omnium qui quondam aſelli ſuppetias Ieroſolymis in triumphum duxit, caducis mortalium rebus, ac indigenti inopiæ noſtræ, non denegat ſervilem animalium famulatum. *Cognovit Bos Poſſeſſorem ſuum.* Iſa: Cap: 1. *Aſcendite Equos & exultate* Ierem: Cap: 46. *Exultavit Eqvus impetu vadens.* Ierem: 8.

Infirmo quoties armentum poplite nutat,
Virgo Tibi toties, victima vera cadit.

Pascat Hymettus apes, hoc pingui monte sacrato:
Seu Christi pascat fertilis Hybla greges.

CAPUT XII.

A Naufragio erepti.

O *Quisquis te intelligis, in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terras ambulare: voca MARIAM.* S. Bernardus Hom: 2.

Anno 1624. facta fluvij *Biala* inundatione, *Zophia Rymarka* currum ascendens, sed metu perculsa decidit, inclamans simili voce: *Salvam me fac Domina, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam*: validamq; rogans opem Divæ Tuchoviensis: interim per medium horæ non apparuit, à præsentibus oblata Divæ Tuchoviensi, inventa est viva post duo stadia ad littus appulsa. O MARIA! *Portus & refugium sis Christianorum.*

Anno 1629. G. D. *Anna Kielamowska*, cum Marito Nobili olim *Martino Leśniowski*, Tuchoviâ domum redux, advertens auctum esse fluvium *Biala*, famulum præmisit, ut probaret an currus transire valeret: ille autem impetu raptus, disparuit in aqua; à consternatis interim Dominis in genuflexione recōmendatus Divæ Tuchoviensi, ut illa felix Arca Noé, salutis impleta Privilegijs, naufraganti famulo portum

tum ſuæ monſtret clementiæ: paulò poſt, mirabiliter ad littus appulſus, ſalvus evaſit cum equo, *tanquàm navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.* Sap: 5.

Anno 1639. *Simon Woyćiechowic* Pictor & Civis Tuchovienſis, ex Villa domum noctu rediens, in medio Fluvij *Biała* fracta glacie profundiſsimè prolapſus, dùm ſe ſe ſalvare niteretur, arripuit glaciem ſibi contiguam; ſed hæc arrepta frangebatur: miſer procul ab humano auxilio, Divam Tuchovienſem inter procelloſas Syrtes invocans, mirabiliter pervenit ad duo glaciei fragmenta ſolidiora: quibus innixus, incolumis evaſit, DEIPARÆ adjutorium obnixè deprædicans; *quia glacies ſuſtinebant vim.* Sap: 16.

Anno 1641. *Andreas Pajakowic* Civis Tuchovienſis, tempore hyemis, Cracoviâ domum rediens, currum rebus *R. P. Præpoſiti Tuchovienſis* habens onuſtum, fracta glacie, vix ſe cum auriga in ſolidiorem glaciem projecit, eqvis in aquas cum curru ſublatis. Conſternati, flexis genibus invocant manum admirabilis Tuchovienſis, & ecce advertunt, quòd equi ſub glacie (quæ frangebatur) ſe ſe ſalvare nituntur, appulſi ad littus: unde accurrentes ſanos & ſalvos equos cum curru extraxerunt, quamvis per horam ſub frigidiſsimis aquis fuiſſent. Miraculum ipſe *Andreas* juramento comprobavit, confirmans; quia MARIA *aſſumpſit me de aquis multis.* Pſalm: 17.

Anno 1675. *A. R. P. Paulus Gawendowſki*, S. Th:

Lect: & Pater Rufsiæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum *Conventus Leopoliensis*, redux Româ, dùm per mare navigasset, ventô à meridie exortô, dilaceratisq; carbasis, ac Navi impetuosè in Scyllas ac Charybdes appulsâ, invocatô Divæ Tuchoviensis auxiliô, dùm ita periclitarentur omnes, ut etiam merces eijci debuerint, mirabiliter salvatus est cum omnibus fluctuantibus, per illum, *qui convertit Mare in aridam.* Psalm: 65.

O D E.

QVa pennâ Boreas scribet in æthere?
Quod sidus rutilis nutibus ingeret?
Quæ portabit & omnes
Puppis carmen in Insulas?
O Virgo! vitrei margine fluminis,
Nuper quæ residens remigium bonum,
Mergenti fidei das,
Orbem fluctibus eripis.
Nunquàm exhaustus enim flumine munerum,
Est vitæ Genitrix Oceanus patens,
Et Fons prodigiosus,
Et plenum Mare Gratiæ.
Imò Hæc Stella Maris, naufraga sæcula
Fædâ præripuit mersa libidine,
Semper Numinis iram
Flectens supplice brachio.

Quod-

Quodsi mens dubijs fluctuet amnibus,
Sanctæ nonne Spei Mater amabilis,
Portum monstrat? & omnem
Vndarum tenet impetum?

CAPUT XIII.

Extincta incendia.

IN igne zeli DEI devorata fuisset omnis terra, ac uno in Rogo, cremantium scelerum iniquitas, favillam experta; nisi MARIA fons salutis, irati Numinis fulmina retraxisset. Si mundus malè inardescit, quidni hoc Mare Gratiarum magnum, & spatiosum, sacris inexhaustum Privilegijs, noxias mundi delebit flammas? Verùm ardeam magìs in amorem DEIPARÆ! aquæ multæ non extingvant charitatem, nec fulmina obruant eam! Agnovit hanc clementiam.

Anno Domini 1641. *Adam Gorlicki*, jurans se fuisse liberatum ab incendio, ad primam DEIPARÆ Tuchoviensis invocationem (quæ *ignem ardentem extingvit* Eccl: 3.) flammis mirabiliter sopitis. Sed plura æstuantis periculi beneficia recensere liceat.

Anno 1641. *Andreas Pajakowic* simile fecit juramentum, quòd tempore incendij, duæ domus illius, ope Divæ Tuchoviensis conservatæ fuerint à

flam-

flammis, multis interpositis cōbustis domibus: quia; postquàm cruce prostratus in terram, DEIPARAM inclamasset, *Mare gratiarum, statim ignis ardens etiam virtutis suæ oblitus est.* Sap: 16. Quæ quidem domus præsentatæ sunt Reverendissimis Commissarijs, grato hospitio, ibi susceptis. Sed & sequens casus mirabilior.

Anno 1675. G. Domini *Stojewski* Aula ab inimicis incensa fuit, interim omnibus gravi sopore oppressis, vix ad accurrentium clamorem, Dominus præfatus excitabatur: sed medijs in flammis stans captivus, invocato Divæ Tuchoviensis adjutorio (cujus habuit effigiem) advertit in igne candidam lucē, ac inde se vertens, mirabiliter liber evasit. Captus autem à præfatis invasoribus, ac fustibus graviter tractatus, denuò ope Divæ Tuchoviensis curatus recognovit, quia *in medio ignis non sum æstuatus.* Eccl: 51.

Auxit cultum DEIPARÆ Tuchoviensis, devotum Oppidum *Gorlic*, quoties à duplici protectum incendio, medijs in flammis, sub refrigerio Augustæ Tuchoviensis triumphavit. Quare solemne laudis Anathema, ab eodem Oppido Miraculosæ Imagini processionaliter allatum.

O D E.

CEssare nonne mulciber
Coactus in furore?

Quem

Quem vincis unô rivulô
MARIA fons salutis.
O Virgo! mundi noxias
Extingue Virgo flammas,
Vulcanus ille flammeus,
Ardentiùs rubescet.

CAPUT XIV.

Nefarij spiritus exturbantur.

PErcutiat pectus suum hæreticus: certùm etenim est, Imagines DEIPARÆ Virginis, oculos, aures, & manum habere, nostrum in adjutorium. Etenim Infernus contremiscit, præsente Cælorum Domina. Orci satellites fugãtur, ad adventũ Angelorũ Reginæ.

Anno 1611. Mulier quædam in Civitate *Sanok*, enormi convicta facinore: interim incarcerata, evadendi supplicij causâ, diabolicæ servituti misera sese devoverat, ac statim à nonaginta Orci satellitibus obsidetur. Tuchoviam post varias Spiritualium Patrum operas adducta, coram Miraculosa Imagine liberata est, exturbatis dæmonibus, terribiles ululatus facientibus. *Exibant autem dæmonia clamantia & dicentia, quia Tu es Christus Filius DEI Vivi.* Luc: c. 4.

Anno 1621. *Dorothæa Frištakowa*, Advocati Tuchoviensis Cõsors, ex periculoso morbo, continuam visibiliter teterrimorum spirituum patiebatur vexam,

ſvadentium ei ſuſpendium: adducta per Virum ad prædictam Miraculoſam Imaginem, mirabiliter *à dæmonio* liberatur.

Anno 1674. *Anna Matelonka*, de Villa *Ryglice* per veneficia, obſeſſa à dæmone, integrô annô, varijs ab eo fuit excarnificata moleſtijs. Quæ dum ad prædictam adduceretur Imaginem, nefarius ſpiritus in ſpecie cujuſdam frementis Venti cum gravi indignatione receſsit. Planè cum MARIA præſens *erat* IESVS *eijciens Dæmonium*. Lucæ 11.

O D E.

Fatale monſtrum Pegaſus irruat,
Quale inquietis fluctibus exſpuit
Cocytus acer, ceû profundus
Sulphureis Acheron procellis
Deſpumat. Eheu! dum Barathrum hiat?
Rebellæ torvæ dæmonium ſtygis,
In gurgites retrò, tremendus
Pelle DEI digitus, MARIA.

CAPUT XV.

In periculis Latronum tutela.

SEcuriùs utiq; migramus, antecedente MARIA, caſtrorum acie ordinata; quæ peregrinantis Vitæ humanæ refugium eſt, ac felix æternitatis meta.

Anno

Anno 1673. *Nicolaus Serwatka* Tarnoviensis, redux de *Dembica*, in sylva à grassantibus militibus invasus, securi & gladijs lethaliter percussus, in foveam mactandus adducitur, jamq; pro exanimi derelictus, miser adhuc in vulnere spirans, ad DEIPARAM Tuchovien: quæ *Viam, Veritatem & Vitam* genuit, suspirat: viresq; mirabiliter reassumens liber evasit. Memor beneficij, hæc omnia coram prædicta miraculosa Imagine recognovit: seriemq; rei in tabula depictam, reliquit. Audi Regium Vatem & crede Viator: *quoniam Angelis suis DEVS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.* Psal: 90.

Anno 1675. G. D. *Stanislaus Bielanowski* recognovit, quod redux ex *Vkraina*, inciderit in manus grassantium Latronum: sed inter cædem, ad invocationem Augustæ DEI Matris Divæ Tuchoviensis, infernales animæ Latrones interimentis, nescio quo casu exturbatis sylvæ Latronibus, salvus evasit. Certè *directus est cum Angelo.* Oseæ 12.

Anno 1675. Supranominatus R. P. *Paulus Gawendowski* S. Theol: Lector, Pater Russiæ Provinciæ: jurejurando recognovit, quod dùm accepta coram præfata Miraculosa Imagine, benedictione, Romam pergeret, à Latronibus in itinere bis pugione ictus fuerit; nec tamen ad invocationem Divæ Tuchoviensis periculosum vulnus acceperit: quibus acceptis è manibus illorum aufugiens, sub densioribus se ab-

ſcondit rubetis: cujus etiam Socius P. *Marcus Podgorſki* ſecuri, pugionibusq; in agonem actus eſt: interim voce quâdam exterritis Latronibus, accurrit R. P. *Paulus*, ſemivivumq; Socium proximæ Civitati adducit. A Medicis unanimi ſententia decretus pro incurabili, ope Divæ Tuchov: mirabiliter curatus eſt; quia MARIA *curam eorum geſſit*. Tobiæ 14.

O D E.

HOrrenda Sylvæ ſpectra! ſatellites
Parcæ! Latrones inſatiabiles
Quos Pardus, udô pavit antrô
Quos Tigris, Vrſus, & anguis horret.
Inſcribo ſaxis funera triſtia:
Veſtroq; ferrô crimina connoto:
Quæ nullus Auſter, nullus Eurus,
Nullaq; pleiádum movebit.
O Virgo! noſtri Tu generis bonum
Semper Solamen! reſpice deſuper;
Periculoſis quando terris,
Nos inimica manus ligabit.

CAPUT XVI.

In reliquis vitæ periculis ſingulare Præſidium.

HAbet hoc rerum mortalium viciſsitudo, ut vindicæ naturæ motu, totius Orbis Scenam, ex a-

lio

lio in aliud permutet. Vix in altum ſurgimus, & jam verticem frangimus: vix ſerenatur animus; & jam mens immutatur. Et mundus ipſe ruiſſet; niſi illum Auguſta DEI Parens MARIA, cæleſtibus fortunæ conſodaliſſet auxilijs, Fideiq́;, Religionisq́; firmaſſet baſes. Nunc igitur humana mortalium fragilitas recogita! incertum eſſe noſtræ felicitatis momentum: nullum mane, ſine ſortis occaſu: nullus occaſus, ſine novi periculi exordio. Sentiamus MARIÆ juvamen ex ſequentibus ſignis, & cauſam admirationis, in ſolitos reponamus devotionis affectus.

Anno 1619. G. Dñi *Stanislawſki* filiolus, nomine *Gaſpar*, Generoſæ autem Dominæ *Czurylowa* nepos, apud quam fovebatur, rationis adhuc impar, manum impoſuit in ollam ferventem per incuriam nutricis: factumq́; eſt, ut Pueri exclamantis manus, graviſsimè intumuerit, longiùs extenſa cute, à carne. Videns hoc triſte proſcenium Gñoſa Dña Avia, ſtatim in terram cruce proſtrata, Divam Tuchovien: inclamat, Cælum ipſum magnis precibus pulſat, donec poſt tres horas, cutis illa ad carnem redijt: unde manus pueri facile ſanata eſt: acſi ipſi MARIA dixiſſet: *Noli timere: ſurge, tolle puerum, & tene manum illius.* Gen: 21.

Anno 1604. Honeſti *Stanislai Markowic* ſuburbani Tuchov: puer, penſilibus cunabulis, ab alto in terram projectus, ita confracto vertice; ut nulla vitæ

 indi-

indicia, præferre poſſet ulteriora: à conſternatis Parentibus, ante Altare Miraculoſæ Imaginis, in multis lacrymis depoſitus, ſtupentibus omnibus præſentibus, infans hilariter Parentes inſpexit, ac ex integro ſanatus in vocem erupit, quaſi dicere vellet: MARIA *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Pſal: 3.

Anno 1641. Spectabilis *Bartholomæus Sadyka*, Civis & Conſul Tuchov: innocenter de domo ſua, per ſeptem famulos, cujuſdam Nobilis extractus, & in forum publicum protractus, dum occidendus duceretur, Divam Tuchovienſem invocat: dumq; fuſtibus tyrannicè quateretur, ac pro exanimi relinqueretur, his non contentus Præfatus nobilis, vulnus atrox capiti ejus, inſtrumento adunco dicto *Kilof* inflixit. A concivibus ex compaſsione domum delatus, & Divæ Tuchovienſi, *quæ percuſſit Reges magnos oblatus*, poſt horam ad ſe rediens, confeſſus eſt, ſe ſingulari Beatiſsimæ Virginis MARIÆ beneficiô vivum relictum eſſe: nam cùm inquit occidebar, & ſenſibus jam deficiebam, hæc S. Imago mihi tunc præſens in oculis hærebat: unde brevi Miraculosâ MARIÆ tutelâ curatus, ſuper his omnibus narratis ad Imaginem Crucifixi in præſentia DD. Commiſſariorum juravit. *Percuſſerunt me & vulneraverunt me.* Cant: 5. *MARIA, & Dominus autem aſſumpſerunt me.* Pſ: 26.

Anno 1641. G. D. *Stanislaus Drzewicki*, ex Diſtrictu Sandomirienſi, in carpento ad Oppidum *Neo-*

corci-

corcienſe diſcedens, itineris lubricoſi inflexione, citò in pontem deveniens, ex illo altitudinis duodecim, cum carpento & Equo prolapſus, invocato Divæ Tuchov: auxilio mirabiliter incolumis ſervatur. *Iuſtus cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Pſal: 36. Miſericors nempè & miſerator Dominus, qui *inclinavit Cælos, & deſcendit* in Vterum Virginalem, ſurgere nos fecit per MARIAM.

Anno 1675. *Ioannes* quidam natione Vngarus, ſaxa & ingentes lapides excidens, ijsq; oppreſſus, vivus & ſanus cum maximo ſtupore repertus eſt. Interrogatus de miro rei eventu? reſpondit: cùm oſſa mea comminuerentur, adhuc reſpirans, in tutelam me DEIPARÆ Tuchov: tradidi, tanquam *Oppreſſorum Adjutrici*, & ecce vivo: *intacta manſerunt oſſa.* 4. Reg: Cap: 23.

Anno 1708. A. R. P. *Amandus Zawadzki* O. S. Benedicti, Prof: Tyn: Magiſter Novitiorum, ſed pro-tunc Sacri Roſarij in Parochiali Eccleſia Tuchovienſi Promotor, ab infirmo redux, venit ad quandam anguſtam, propè Villam *Burzyn* ſemitam: præcipitium interim ad fluvium *Biała* erat ultra duodecim ulnas. Ex quo dum Prædictus Pater vellet interitum ſuum ſalvare, eqvus fractâ terrâ prolabi cæpit, & vix ſe prædictus Pater, in ſolidiorem terram ejecit: tandem equo terribiliter prolapſo, meditabundus perambu-

lat,

lat, Divam Tuchov: inclamando. Res mira! vix per extensam trabem aquas evasit, & jam Eqvum sanum invenit. Memor beneficij accepti, gratum se cum Sacrificijs Missæ, Divinis Miraculosæ Imaginis Aris præsentavit, hos relinquendo versus:

Virgo quæ casum nescis, succurre cadenti:
Nam Cæli facta est Porta, patensq; via.

Sed & rapaces feræ sylvestres, mitescere coactæ sunt.

Anno 1716. Vir quidam, infra Octavam Visitationis Beatissimæ, ad Ecclesiam DEIPARÆ Tuchov: per Sylvam proximæ Villæ *Zalassowa* dictæ adstantem, ferventiori properans affectu, obvium sibi ingentis magnitudinis offendit Vrsum, qui protinùs in Viatoris pectus irruens, miserum hominem vix spirantem suffocare cæpit. Vir ab humano procul auxilio, præsidium Miraculosæ Matris invocavit. Vrsus ea voce perturbatur, immemor iracundiæ, velociori cursu in fugam versus, hominem salvum reliquit. O MARIA! *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* Psalm: 73.

Similis huic casui etiam Anno 1717. eodem fermè tempore accidit casus. Vir quidam per aliud huic Sylvæ adjunctum Nemus, ad dictam Ecclesiam pergens, & incidens in obviam cum catulis Vrsam, ungvibus terribiliter invasus, & dilaceratus, inter cladem, preces ad DEIPARAM Tuchoviensem transmittens ab ursa relictus, mortis fauces evasit. Nam

Regi-

Regina Cæli, quæ *Sideream* pedibus calcat *Vrsam*, terrestris similiter profligavit Vrsæ ferociam. Dicti Viatores gratos se eidem Auxiliatrici præsentârunt uno ore exclamantes: *Dominus* & Domina, *liberavit me de manu Vrsi.* 1. Reg: C. 17.

In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita: MARIAM invoca: Ipsa tenente non corruis: Ipsa protegēte non metuis. S. Bern: hom: 2.

O D E.

Sivè nos pungant gladij cruenti:
Sivè nos pellant rapidæ Sagittæ:
In Tuo clades Clypeo MARIA
Vincimus omnes.

Turris excelsum superans Olympum,
Emines Virgo, speciosus atquè
Mons DEI, quo prospiciunt periclûm
Naufraga sæcla.

Pulchra castrorum hinc acies, phalange
Scilicet Regis clypeata David,
Frangis hostiles cuneos Averni, &
Arma Goliæ.

CAPUT XVII.

Auxilium in Bello.

AD arma propero: sed calamos in hastas, mentes in Galeas, justitiam in thoracem, fidem in

Scutum inexpugnabile componens, Victricem Aquilam Regni Poloniæ, triumphali impono Pyramidi. Et quodsi victorias loquimur: Virgo MARIA Solem Iustitiæ in Virginali suo Exortum signo, stare fecit, donec vincamus. Illa inquam Principis Pacis Mater, solutos componere motus, Regnumq; stare novit: *Confregit arcum, scutum, gladium & bellum.* Psalm: 75.

Anno 1636. Honestus Adolescens *Chrzęstek* Tuchoviensis, servus G. D. *Krosnowski*, in magno conflictu cum Francis, bis pugione ictus, trans-Rhenum fluvium, viribus destitutus, ex equo prolapsus, Divam Tuchoviensem inclamat: unde leni afflatus vento, vires meliores assumpsit. Flexis interim genibus admirabilem Cæli Reginam Divam Tuchoviensem implorat: factumq; est, ut ex Exercitu G. Dñi *Sieradski*, nobilis Poloni, Sacræ Cæsareæ Majestatis certi campestris Exercitûs Ducis, nemo nostrûm perierit: Francorum autem Exercitus, amisso Duce, terga vertit. Super hæc omnia juravit præfatus Adolescens. *Arcus fortium superatus est.* 1. Reg: 2. *Dignare me laudare Te Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes Tuos. Tollensq; se Angelus DEI, præcedebat castra Israël.* Exodi 14.

O D E.

LAudem MARIÆ tympana dicite!
Tubæ sonoram psallite gloriam!

Duces.

Ducesquè, Regesquè, & Phalanges
Congeminate Sacrum triumphum.
Pari coronâ, Sortequè prosperâ,
Colluctuantis prælia spiritûs
Corrobores Virgo potenter:
Exitium reparesquè pacis.

CAPUT XVIII.

è Captivitate educti.

PEtrus Pastor Ecclesiæ, Angelo Duce catenas evasit: confugiat igitur ovis captiva ad Angelorum Reginam: ipsa namq; generis humani captivam eduxit captivitatem ex Ægypto infernalis Pharaonis.

Miles quidam Polonus annis præterlapsis, in Bellum contra Turcam profecturus, Ecclesiam Miraculosæ Imaginis visitavit, eidem prosperum exitum commendando: tandem post dubium exitum belli, à Saracenis captus, Constantinopolimq; ductus, compedibus vinctus, diram in carcere sustinuit vitam, emendicando quotidianis precibus Divæ Tuchoviẽsis adjutorium. Sæpiùs à commilitonibus deluso, B. V. MARIA visibiliter apparet, eumq; de carcere exire jubet: ac protinùs catenæ ceciderunt de manibus, compedesq;. Quos compedes, ut in memoriam secum Tuchoviam accipiat, DEIPARA jubet. Qui cùm ad fores primas accurreret, statim

tæ ſunt: poſt exitum verò illius, clauſæ. Poſt has, & reliquæ ultrò apertæ ſunt fores. Perveniens interim ad fines Tartarorum feliciter, obvios Scythas advertit: aſt in gramine mirabiliter occultatus, tandem poſt ſe conſpexit Eqvum cum Ephippio inſequentem, quem conſcendens Tuchoviam uſq; advenit, proſtratoq; corpore, coram Miraculoſa Imagine, devotas effudit lacrymas, Eqvumq; ſuum Eccleſiæ B. V. M. donavit, ac compedes in ſignum præſtantis beneficij appendi, petijt. Miraculum juramento comprobârunt teſtes auriti, F. *Stanislaus Smito* Advocatus & *Stanislaus Markowicz* Tuchovienſes Anno 1641. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Pſalm: 106.

Nec hocce ſilentio prætereundum beneficium, quòd Gñoſus D. à *Zimnowoda Leśniowſki*, à municentiſsima Divæ Tuchovien: hauſit dextera Anno 1648. Hic regia ſigna cum cæteris commilitonibus cataphractorum ad *Korſunum* comitatus, & à Coſacorum hoſtili captus manu, Scythis venundatur, ac ultra *Pontum Euxinum* ductus, duram ſervitutem apud barbaros pati cogitur. Memor autem præſidiorum mirandorum ad S. Iconem MARIÆ Tuchovienſis fieri ſolitorum, auxilium Matris Divinæ ardentiùs invocat, longinquamq; abductionem *Matri bonæ Spei* committit, nec fallitur; ſed medijs per favorem cæleſtem diſpoſitis, barbaram ſervitutem evaſit:

ſit: redux autem, munus divinum recenti repetens animo, Caſulam holoſericeam, opere Damaſceno factam, ſuæq; captivitatis ſeriem, in tabula argentea digeſtam, ſacris addidit Aris.

Gñoſus D. *Chriſtophorus Kraſowſki*, Eqves Polonus captus à Tartaris, graviſsima excruciatus captivitate, nullo etiam habito reſpectu provectæ ipſius ætatis, nudo corpore rigidum perferre frigus coactus, fame maceratus, flagris immiſericorditer cæſus ſæpiùs, tandem poſt longa ſuſpiria ad Divam Tuchovienſem, quæ eſurienti mundo Panem & frumentum Electorum exhibet, ac Dñum ipſum Sacro lactavit Vbere, ſpe confortatus imprimis, deinde mirabiliter Anno 1676. eliberatus eſt.

Plures à vinculis illæſos abire fecit Diva Tuchovienſis, Mater Redemptoris, quorum compedes in ſignum & titulum appenſi, perpetua Virginis præſignant prodigia: ad petitionem etenim Auguſtæ ſuæ Matris dicit Dominus his, *qui vincti ſunt exite, & qui in tenebris, revelamini.* Iſaiæ 49.

Alma Redemptoris Mater, Virgoq; MARIA,
Tu ſervile jugum redimis, nodosq; reſolvis
Nempè Patres limbi ſolviſti compede nexos,
Ac illuxiſti latebroſum carceris antrum.

CAPUT XIX.

A Peſte Immunes.

NVnc ad Te loqvor ô Virginum Virgo! Mater miſericordiæ, irati Numinis viſcera mulces toties, quoties vindice flagello *DEVS ultionum*, ſceleribꝰ minatur Orbis. Tu quidem efficis, ante regalem juſti Iudicis Thronum, ut DEVS bilancem, gladiosq; juſtitiæ, miſericordiæ motibus conjungat.

Parce: lachrymæ perorant: & altiùs cum Póëta ingemiſcerem:

Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes,
niſi ô Stella Maris, ſerena facie, ſuffocantis *Syrij* ſopiviſſes æſtum. Tumulos ergo mortis claudo, feretra deſtruo, cupreſſos dilacero, retia ſcindo, falces & tela frango. Hæc omnia funeſta mortis trophæa ac ſpolia, immortali Laudis Tuæ ſubijcio coloſſo.

Nam vitæ facta es ter Benedicta Parens.

Anno 1622. Inter Peſtiferæ contagionis flagella, *Civitas Tarnovienſis*, ad Almæ DEIPARÆ Tuchovienſis præſidia confugiens, media inter funera, ſalva permanſit: Votivum Schemma appenſum teſtatur. *Tarnovienſis Civitas, Patrocinio Beatiſſimæ Virginis Tuchovienſis, à peſte liberata Anno* 1622.

Anno fermè interjecto *Pilzna*, Oppidum, in graviore contagionis æſtuans periculo, pares *Stellæ Iacob* favores, coram Prodigioſa DEIPARÆ Tuchovien-

vienſis Icone recepit. Vnde Tuchoviam Votiva dona, cum publico teſtimonio miſſa ſunt.

Becium quoq; Submontanarum Partium clara inprimis Civitas ac Nobilis, haud communis cladis expers, fædam mortis luem, Cæliq; intemperiem, dexterâ *Reginæ Cælorum* Tuchovienſis evaſit.

Mons Regius Sacri Ordinis Camaldulenſis, poſt Varſaviam eminens, immanibus Peſtilentiæ telis cinctus, nullas quoq; àëris inclementias expertus eſt per ſingulare Divæ Tuchovienſis Præſidium, ſolemne teſtatur Anathema in Anno 1678. ab ipſis Adm̃ R̃ndis Sacræ Eremi cultoribus, grata pietate allatum.

Elementa Elementorum, eſſe Principia rerum omnium Philoſophantium ſenſus eſt: ex quibus, quia reliqua omnia componuntur, & in ſuum reſolvuntur principium; ea profectò omnia, inclementis naturæ dicuntur. Ignis omnia devorat: àër inficit: aqua mergit: terra abſorbet. Quia verò Virginis Auguſtæ MARIÆ, præcellentis meriti dignitas, de terrenæ culpæ macula nihil habet: ideò Hæc ſola, ſupra firmamentum, ad ipſum Deitatis Thronum, per conceptionem *Verbi Divini* erecta, corrigit inficientem in nobis Elementorum fomitem: *Ignem* febricantium mentium extingvit: *àëris* inclementiam deprimit: *aquæ* intumeſcentiam delet: *terrá* abſorptos vivificat. *Recordare* Domina, *& dic Angelo percutienti populum, ſufficit: nunc contine manum tuam.* 2. Reg: 24.

ODE.

O D E.

FVnesta vitæ Funera! quæ sine
Quiete, pandos in tumulos ruunt:
Silet suum campana luctum;
Dum Populo viduata templa
Clauduntur. ô Regina DEIPARA!
Nostræq; sortis spes bona: lugubres
Invise plagas: Paxq; tecum
Associata volet, Salusq;.

C A P U T XX.

Mulieri cuidam impuræ, Dæmon crines evulsit capitis.

NVnquid flammeus Sol est arguendus, si quis in eum infectos conjiciat oculos. Parem in spinis incauta manus, ac in Rosis inveniet Scarabæus cladem. Exhorreant autem omnes insolitum Divinæ vindictæ flagellum! monstrum potiùs quàm speciem hominis, in ficta Mulieris sequentis venustate conspicientes.

Anno 1600. Iuvenis quædam mulier impura, fertô redimita, simulata incedens Virginitate, Altare Prædictæ Miraculosæ Arcæ DEI circumeundo, repentè per obsessum à Dæmone invasa est: cujus cripes cum serto, omnes evulsit impurus spiritus: caput mulieris, utpotè dæmoniacæ fraudis artem, infami denudans spectaculo.

Quos

Quos quidem crines, *Catharina Smiłowa* jurejurando se vidisse affirmavit. Adm̃ Rñdus Pater *Mellanius* Professus Ord: Nostri, eos insuper vidit oculis suis, ad trabem per medium templi appensos. Matrem igitur & Virginem, Simulacrum Summæ Puritatis, Innocentiæ Speculum, Potentissimamq; Angelorum Reginam, labefacta trepidate mundi Regna! ac hoc in Templo DEI, Magnæ Parentis clementem exorate bonitatem. Hoc certè de impura dictum muliere: *Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium.* Levit: 12. Solæ Virgines *ferent secum signa Virginitatis*, securæ in hanc Domum DEI. Mulierem autem, in qua *non est inventa Virginitas*, Angeli DEI *ejicient eam extra Domum DEI foras.* Deutoronom: C. 22. dicetq; Sponsus Virginum, *nescio vos.* Matt: 25. *Excute comam capitis tui.* Esdræ Cap: 1.

Fœmina cuncta tamen palles, simulante pudore:
Reddito quem portas, Dæmonis iste modus.
A Patre mendacî, fallaxq; modestia vultûs,
Seu comodata comæ larvaq; detrahitur.

CAPUT XXI.

In Partu difficili, singulare juvamen.

EVæ Reparatrix, viventiumq; Mater MARIA, nullam mortis sententiam in Adam incurrens:

 eam

eam, quam humanæ vitæ naturæ reparavit fæcunditatem, pari protegit in Partu periculoso, præsidij favore: *intercedens pro devoto fæmineo sexu.*

Anno 1641. Magnifica Dña *Tarłowa*, Illustrissimi ac Magnifici Domini Palatini Lublinensis Consors, periculosô pressa puerperiô, Supremam Divæ Tuchoviensis (cujus miranda audiverat,) cum tota Palatina aula, implorat opem, & votum nuncupat; ut illa Virgo, quæ peperit Filium DEI, clementem auxilij porrigat dexteram, protinus MARIÆ favoribus adjuta, felicem enixa est Partum, magnificè deprædicans dexteram Virtutis MARIANÆ, prolemq; illustrem, cum votivo miraculi testimonio, gratitudinisq; monumento, divinis præsentavit Aris, & ait: *dotavit me DEVS dote bona.* Gen: 30.

Anno 1621. Honesta *Agnes* Civis Tuchovien: in agonem versa, vix reliqvias spiritûs trahens, eò quòd diem integrum extremo partûs luctabatur onere: verùm Augustæ DEI Matri Tuchoviensi, gravidæ sed intactæ Virgini, cum omnibus agoni adstantibus, in magna fiducia recommendata, repentè cæleste præsidium experta, præsentibus admirationem movit, ac viribus brevi reassumptis, votum reddens, expertam Auxiliatricis suæ dexteram, quoad vixit, gratæ revocavit memoriæ, *& stabat coram DEO cum Parvulis.* 2. Paralip: 20. dicens: *hoc pro beatitudine mea.* Gen: 30.

Anno

Anno 1637. *Ioannis Mauda* ex *Vnießowa Anna* Conjunx, totam egit hebdomadam in partu periculoso: tandem frustratis obstetricantium auxilijs, à Dña sua Gñosa *Pawłowska*, M A R I Æ patrocinio oblata; ut illa Virgo, quæ *pariens Filium*, *Virginitatis non passa detrimentum*, afflictæ, & in doloribus parturienti succurrat: statim ultra omnem vitæ ulterioris opinionem peperit, & *dixit*, *feliciter*. Gen: 30.

Honesta D. *Agnes Kmićina*, Civis Tarnoviensis, dùm plurima indoleret puerperia, per abolitam sterilitatem, partumquè proferret exanimem: consilium quod in hominibus defecit, à Matre Misericordiæ Tuchov: habente in Vtero Filium DEI, accepit; oblatamq; sobolem Filiolum nempè gratissimo præsentat animo, Anno 1642. deprædicans: *MARIA exaudivit vocem meam*, *dans mihi Filium*. Gen: 30. *Sterilis peperit plurimos*. 1. Reg: 2.

Anno 1707. Famata D. *Barbara Kruczkowska* Tuchoviensis, per triduum gravissimis in partu succumbens doloribus: dùm suum, prolisq; periculum, cum Sacrificio Missæ, MARIÆ, invenientis gratiam apud DEVM & de Spiritu S. in Vtero concipientis, subijceret tutelæ, ab importabili puerperij onere liberata est, quamprimùm pro eodem pulsaretur Sacrificio: novumq; partum feliciter enixa, cælesti præsentavit auxilio, gratissimamq; suam Divæ Tuchoviensi, coram prodigiosa Icone, mentem expres-

M 2 sit.

sit. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Luc: 9.

Ad submontanam igitur plagam convoco parturientium dolores: Filia Sion! *nunc quare mœrore contraheris? nunquid Rex non est tibi? aut consiliarius tuus peryt? quia comprehendit te dolor, sicut parturientem. Filia Sion! nunc egredieris: ibi liberaberis: ibi redimet Te Dominus.* Mich: 4. ℣. 10.

Diva Pares, releves cruciatus Parturientûm,
Quæ paris in terris absq; dolore DEUM.
Afflictum mundum releves mærore gravatum,
Conceptusq; dolor, gaudia parturiat.

CAPUT XXII.

Desperata sanitas reddita, supina quoq; Paralysis depulsa.

NOn absq; causa *Fortitudo DEI* ad MARIAM missus est Gabriel: cujus igitur potentiæ est, etiam debilem Regni Poloniæ Statum, forti firmare virtute: sicq; fortes virtutes fortibus creantur indies virtutibus in prodigioso hoc MARIÆ Palladio. Verùm Illa Virginum Virgo, quæ Supremum Archangelorum continet thronum, *Raphäelem* insuper *medicinam DEI*, hoc in loco adstantem conservat nostrum in infirmæ naturæ ministerium. Quinimò

nimò quòd magis est ad Emphasim excellentissimæ virtutis, fractas quoq; nutantesq; novit DEI Mater consolidare mentes. Et quodsi mortifer instat morbus urgens ad antra sepulcri, tunc MARIA *mutans Evæ infirmæ nomen*, ægrotum sanat orbem. *Loquar* igitur *Propositiones ab initio: quanta audivimus, & cognovimus ea, & Patres nostri annuntiaverunt nobis.* Psalm: 77.

Ilustrissimus in *Zaslaw* & *Ostrog* Dux, *Dominus*, Palatinus Cracov: decedente sterili priore Conjuge sua, aliam in matrimonium assumens, ex ea oblatam sobolem masculinam suscepit, sed Anno 1652. die 22. Febr: in ægritudinem violentam subitò deciderat: concussit animum Ducis ea res, tristè ferens gravem filij infirmitatem. Persvasus autem ab aulicis, qui noverant miranda DEIPARÆ Tuchoviensis, submissè vires infirmi, commendat peraugustæ Virginis præsidio: *respice* Domina *in filium meum, quia unicus est mihi.* Luc: 9. Vndè breviter reddita valetudine, Grati Principes, filiolum ulteriori DEIPARÆ tutelæ commendando, eum Tuchoviæ 1654. præsentant, statuam argenteam Puerilis figuræ in memoriam tanti ponentes beneficij.

Anno 1622. Divina in erigendis Paralyticis virtus admirabiliter effulsit, laxatas nervorum consolidando compages: insuper agonizantibus, ac in desperata valetudine suspirantibus, dextera DEIPARÆ

porrigebatur. *Multi autem Paralytici & claudi curati sunt.* Actor: 8.

Catharina Kozyna de Villa *Iunovice*, per annum lecto affixa, humanis incertificata auxilijs, ad medicinam DEI recurrens, ex clementia Divæ Tuchoviensis, extra spem omnem, è pertæso ægritudinis lecto surrexit Anno 1623. *& intravit in Templum* MARIÆ, *ambulans & exiliens, & laudans DEUM.* Act: 3.

Laudet MARIAM Honesta *Ziętkowa* de Villa *Rzepnik*, quæ per biennium gravi ac desperatâ infirmitate depressa, eodem Anno (sæpiùs per illa similia verba Divam Tuchoviensem invocans: *non est sanitas in carne mea: gemitus meus non est à te abscõditus: intende in adjutorium meum:* Psalm: 37.) adjutorio ejusdem Divæ DEIPARÆ convaluit, ac infirmum projecit lectum, *confregitq; jugum* infirmitatis *post duos annos dierum.* Ierem: 28.

Anno 1629. Nobilis *Severinus Chylinski*, tantô morbô convulsus ingemuit, ut nec incedere, nec sedere, nec jacere posset: omnium membrorum, per spatium trium partium anni, gravem perferens pressuram: consilia interim medicorum defecerunt. Post multa in DEUM DEIPARAMq; suspiria, advectus ad Ecclesiam Thaumaturgæ Imaginis, vix vehementiùs ingemiscere cæpit, & statim subactis doloribus factus est quasi mortuus: deinde quasi à somno resusci-

ſuſcitatus, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, devotis in lacrymis, ac his in verbis laudans Miſericordiæ Matrem: *Omnia mea oſſa dicent*: MARIA, *quis ſimilis Tibi.* Pſal: 34.

Gñoſus D. *Sebaſtianus Milanowſki*, Filium ſuum integro anno lecto affixum, conſternatis indoluit oculis Anno 1634. prout ipſe faſſus Anno 1641. in actu Commiſsionis: quia ita præfatus filius morbo convulſus erat; ut initio cujuscunq; menſis, cutis in corpore ipſius aruerit. Igitur Medicinæ Doctorum Cracovienſium & Leopolienſium induſtriâ fruſtratus, Conſolatrici afflictorum, DEIPARÆ Tuchovienſi ardentiùs ſupplicat; ut filium à faucibus mortis, arripiat Mater ſupereminentis Principij vitæ; aſt illa Virgo, quæ necdum amovit *Orationem & Miſericordiam ſuam.* Pſalm: 67. curatum reddidit filium dicens: *Surge, tolle lectum tuum.* Luc: 5. *Vade, filius tuus vivit.* Ioan: 4.

Nobilis Virgo *Conſtantia*, Soror Germanæ Dominæ *Morſka*, caducô morbô longiùs moleſtata, coram DEIPARA Tuchovienſe, caducis mortalium rebus auxilium præſtante, liberatur.

Sed & ſequens Miraculum, reſpiciat in faciem Matris Chriſti, MARIÆ. Anno 1635. *Agnes Sliwyna* Civis Tuch: attulit ad Eccleſiam Miraculoſæ Matris, infantem, incurvatam faciem, caputq; indirectum habentem, multis in lacrymis eum coram *afflictorum*

dexte-

dextera deponens: ſed breviter eum correctum, per merita MARIÆ, cum ſummo gaudio recepit à Domino, qui male declinatum mundum correxit: *accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Pſalm: 33.

Gñoſus D. *Stanislaus Chronowſki* hæres *in Iunino*, paralyſi tactus, ſæpiùs necdum abbreviatam Reginæ Cælorum dexteram amariſsimis expoſtulat in lacrymis Anno 1636. nec præconceptô irritatus ſuſpiriô, advectus ad Eccleſiam B. V. MARIÆ Tuchoviam, nullum beneficij divini modum eſſe in regratificando profitens; ſed ut Miſericordiæ DEIPARÆ exſtaret memoria, DEVM deprecatur: unde vires ſenſibiliter ſentiens, ex integro ſanus effectus eſt. Virgo etenim MARIA, Reparatrix vitæ humanæ, ad cor *dixit Paralytico, confide fili.* Matt: 9.

Laborioſus *Blaſius Wypior*, adſcriptitius Villæ *Podgorſka Wola*, filium ſuum epilepticum Divæ Tuchovienſi præſentans, ſanum reduxit Anno 1634. *Vade in pace.* Luc: 7.

Gñoſus Dñus *Oſiecki* de *Tucza*, gravi dentium dolore punctus Anno 1639. eo quidem tempore, quo *Petricoviæ* in Comitijs Tribunalitijs degeret, admirabili præſidio Virginis Tuchovienſis adjuvatur. Memor beneficij, *dentem pro dente* Levit: 24. præſentat argenteum: *nec ampliùs dentes illius moti ſunt.* Deut: 36.

Anno

Anno 1637. Honesta *Hedvigis Markowicowa*, Civis Tuchoviensis, pertæso plicæ vitio longiùs excruciata, ad Divæ tandem Tuchoviensis Præsidium recurrens, molestantem plicam, peracto Sacrificio Missæ quod legi curavit, abscidit; nec ampliùs acerbi dolores ad illam reversi sunt: *qui in se invicem plicabantur*. Ezech: 41.

Anno 1641. Vener: P. *Martinus* Ecclesiæ Parochialis *in Rozemberg* Commendarius retulit in Actu Commissionis, quòd mulier quædam in eadem Villa monstrum genuit instar cancri, quod nullam similitudinem humano corpori præseferebat: post quale monstrosum puerperium graviter decumbens, oblata Divæ Tuchoviensi, Parturientium Patronæ, sine doloribus filium DEI parturienti, quæ Luciferum, monstrum Angelorum propria virtute calcavit, ejus valido Patrocinio, ægra mulier incolumis effecta est. Quodsi Hæretici, contra prodigiosum hocce blasphemat adjutorium? *certè sermo eorum, ut cancer serpit*. 2. Timoth: 17.

Anno 1675. Recognovit A. R. D. *Ignatius Markiewic*, Altarista *Binaroviensis* quod Paralysi tactus, humano destitutus auxilio, ope admirabilis MARIÆ Tuchoviensis mirabiliter sanatus sit. Nonne clemens cum IESV Mater ait Paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Matt: 9.

Anno 1615. Adm Rndus P. *Ioachymus Kozynski*,

protunc Præpoſitus Tuchovienſis, extrema decumbens ægritudine, poſt vana Medicorum media, aliquot guttas vini, quibus facies Sácræ Imaginis abluebatur ebibit, in ejus quidem afflictæ dolorum Matris memoriam, quæ felle & aceto potato DEI Filio, pro totius mundi ſalute in Cruce pendenti adſtitit: confidens in Miſericordiæ Matre nihil eſſe difficile quòd non poſsit prodigioſa MARIÆ manus oſtendere: Salutaris potus planè ceſsit *in ſanitatem* ita; ut ſequenti die meliores reaſſumens vires, breviter coram Miraculoſa Imagine, hoſtiam laudis immolando, ad priſtinam redierit valetudinem. Sequentes verò laudes DEIPARÆ ſuæ, perenne reliquit in teſtimonium favoris accepti:

Si medicina DEI, mortem curare noviſti,
Tunc vitæ partum, clauſa ſepulchra dabunt.
Vera Salus Infirmorum, Spes Vnica Vitæ.
In Te qui ſpirat, neſciet ille mori.

Sed nec ſequens tacendum MARIÆ beneficium. *Blaſius Lyſak* de Villa *Złotowa* faciem ſuam ex ulcere, una parte terribiliter dilaceratam, ac putrefactam perferens, gravem incurrebat apud vicinos nauſeam. Derelictus ab omnibus, in dolore ſæpiùs Conſolatricem afflictorum, Divam inclamat Tuchovien: tali affectu: *Mater Sanctiſſima Tuchovienſis! oſtende nobis Domina miſericordiam tuam: exquiſivit te facies mea.* Pſalm: 26. Mirum eſt! ſanatur miracu-

raculosè. Miraculum ipse *Blasius* cruce prostratus coram Miraculosa Imagine recognovit Anno, 1714.

Anno eodem. Gñosa Dña *Catharina Rakowska* de Villa *Gębiczna*, per duodecim septimanas grave delirium passa, longioribusq; divexata opprobrijs, oblata tandem præsidio DEIPARÆ Tuchoviensis, quæ mentes hominum *aspirando prævenit, & adjuvando prosequitur*, ad pristinam redijt saniorem mentem. Memor beneficij accepti, gratam se DEIPARÆ præsentavit Tuchoviæ: *nec ampliùs venit æstus super caput ejus.* Iudith: 8.

Anno 1715. *Stanislai Drozdak* de Villà *Xiaznice* filia *Catharina* periculosè infirma, epilepsi quinquies ante ipsum agonem excruciata, jamq; lumine per totam noctem custodita, funebrali etiam præparatô sagô; tandem à consternatis Parentibus, cōsilio Viri *Szołtisek* de Villa *Łaskowice*, Divæ Tuchoviensi (*quæ eripuit animam totius mundi de morte, oculos à lacrymis, & pedes à lapsu*) in summo fletu recommendata, incolumis surrexit cum ingenti spectantium & gementium stupore, qui omnes in genua procumbentes Divæ Tuchov: gloriam narrare vicinis non cessarunt dicentes, *quia sanata est filia*. Matt: 15. *Date gloriam DEO.* Eccl: 50.

Deprædicavit insuper cælestes MARIÆ favores. Gñosa D. *Apollonia*, Spectabilis D. *Piskálski* Civis Cracov: Consors, quæ Anno 1715, filiolam suam,

 an-

annorum quinq; puellam agonizantem, vehementi indoluit animo. Supervenit eo momento A. R. P. *Samuel Zapartowic* electus Præpositus Tuchov: prænominatæ autem Dñæ Frater, iter suum cum Institutione ad Præposituram prosequens: qui dum utrumq; prolis infirmæ Parentem lamentabundum, & & ipse consternatis spectasset oculis; super infirmæ puellæ caput, Imaginem Miraculosæ DEIPARÆ Tuchov: imposuit, viresq; puellæ jam jam deficientes, præsidio Matris admirabilis cum voto Parentum dedicat, supplicatq; cum cæteris hospitibus præsentibus Cælesti protectioni; factumq; est ad mentem supplicantium: nam statim ægra filia, oculis apertis in verba prorumpens, post mediam horam totaliter convaluit, surrexit & ambulavit. Tantâ exhilarati Parentes munificentiâ, filiolam sanam Sospitatrici suæ Tuchoviæ præsentarunt, ac tabellam argenteam in testimonium tanti relinquerunt beneficij. Admodum verò Rñdus Dñus P. Præpositus, præfatæ Dñæ *Apolloniæ* Frater, sequentes DEIPARÆ grates inscripsit, pro flore vitæ restituto: *Lectulus noster floridus*. Cantic: 1.

Flos modo progenitus, nunquid marcescere possit
Ante Rosam? *de qua resplendet Purpura* Vitæ.

Nec silere potuit benignum DEI Matris Tuchov: præsidium Gñosus Dñus *Vincentius Iosephus Racibor-ski*, qui Anno 1715. per quatuor septimanas malignâ

exu-

exuſtus febri, adeò; ut Medicorum ſublevari nequaquàm præſidio potuerit: factô interim ſuſpiriô ad mirificas Sacræ Iconis Aras Tuchovienſes, die ſequenti *reliquit eum febris.* Ioan: 4.

Sed & Vngaria clementem Auguſtæ DEI Parentis MARIÆ narrat dexteram. Anno 1716. die 3. Iulij. Prænobilis Dominus *Michäel Schmeltzer*, natione Vngarus jurejurando recognovit in præſentia multorum primæ conſiderationis hoſpitum, quia Infans ipſius, Nomine *Antonius*, ex gravi per ſemiduos annos rupturæ cruciatu, tandem ad ultimum periculi devenerit, nulliſq; medijs curari potuerit. Solicitus Pater ut erat in Virginem DEIPARAM devotus, conſilium quod in hominibus defecit, à Benigna DEIPARA Tuchov: humiliter emendicare non ceſſavit. Vnde pedeſter properando, infantemq; tutelæ DEIPARÆ ſubijciendo, Matrem afflictorum, quæ dirupit vincula infirmitatis humanæ invocat, curatq; *ad ſacrificandum ei hoſtiam laudis*, Miſſæ Sacrificium. Itaq; ſpe repletus coeleſti, quàmprimùm domum revertitur, ſanum infantem, multis præ gaudio obortis lacrymis, invenit ita; ut neq; ſigna rupturæ apparuerint. *Reſpicite Syon: Omnes funiculi corporis ejus non rumpentur.* Iſa: 33.

Perilluſtris & Reverendiſsimus Dominus *Andreas Gorzewſki*, Canonicus Woynicenſis, ſequentes DEIPARÆ grates inſcripſit.

Virgo Plutonis postes à cardine rumpens
Consolidat fidei devotæ pectora rupta.

Sequens etiam prodigiosus rei eventus, divinam celebrat MARIÆ gloriam. Anno 1717. præsentatus est Puer annorum duodecim *Franciscus Tarnoczy*, natione similiter Vngarus, coram Thaumaturga DEIPARÆ Tuchoviensis Icone prostratus in terram: de quo multi fide digni Viri Vngari jurejurando recognoverunt; quia hic Puer calculo supra modum diu excruciatus, tandem in agonem præ dolorum copia venit: ope destitutus, quàm primùm ab adstantibus admirabili *Misericordiæ, Lapidisq́ Angularis Matri*, DEIPARÆ Tuchov: recommendaretur, statim à calculo liberatus est. Qui quidē Voti causâ, priora Vota à majoribus Votis cumulando, ad explendam DEO, DEIPARÆq; gratitudinem pedester adveniens, cum reliquis iter facientibus, devotum se præsentavit. *Tulit itaq́ lapidem & erexit illum in titulum* MARIÆ. Gen: 28. *Certè hoc in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Apoc: 2.

Perillustr: autem & Rn̄dmus D. *Adalbertus Sztychowski*, Canonicus & Iudex Surrogatus Officij Tarnoviensis, Curatus in Łękawice, sequentes DEO, DEIPARÆq; laudes inseruit.

Calculus ille novæ fert integra stemmata Vitæ,
Scilicet infractos mentis quòd proferat artus:

Nu-

Numinis inscriptum releges problema colosso,
Nàm plùs quàm Pario durabit marmore testis.

Omitto innumerabiles infirmitatum excessus, qui satis luculenti Votivis in tabulis testimonio, opem *Salutis infirmorum deprædicant, quòd extra naturæ vires correcti sint.* Nonne hoc in loco per MARIAM, Dominus *Cujus livore sanati sumus.* Isa: 53. *Sanat omnes infirmitates?* Psalm: 102.

O D E

DUm Virgo loquimur saucia vulnera,
Miscemus querulis gaudia luctibus:
Nam suspirat acutis
Vita pressa doloribus.
Quisquis Virgo tuis langvet amoribus,
Affectus animæ nesciet anxios:
Nunquid vulnera sentit
Cœli Punctus Acumine.

CAPUT XXIII.

Pecora incolumitati restituta.

PEcora insuper in Victimam Reginæ Cælorum sisto: aut Vos, quicunq; Divinam Reginæ Cælorum dexteram sensistis? *adducite pecora vestra.* Gen: 47. Iam ecce non ampliùs
Concidere infelix validos miratur Arator
Inter opus tauros. Anno

Anno 1602. Gñoſæ Dñæ *Liśiecka* de *Burzyn* pecora, gravi contagionis ceciderunt excidiô: dumq; reſidua langverent, illa omnia, præſidio Auguſtæ Matris Tuchovienſis, quam laudant *beſtiæ & univerſa pecora*. Pſal: 148. libera evaſerunt.

Venit inſuper in holocauſtum honoris DEIPARÆ Virginis Tuchov: Vacca, *Iacobi Stempek*, Civis Tuchov: quæ ſcilicet Vacca in rabiem verſa, terribiles edens mugitus, jamq; proxima ad interitum: interim præſidio Divæ Tuchovieñ: recommendata, ſana effecta eſt. Iuravit ſuper miraculo præfatus *Iacobus*.

Sed & Pegaſum relinquens, Generoſum aſcendo Equum Famati *Ioannis Kutt*, Civis Tarnovienſis, qui Anno 1643. longiori laborans epilepſi, ope Divæ Tuchov: curatus eſt.

Quid adhuc illa Miſericordiæ Mater patraverit? perſpiciamus. Anno 1675. Quædam paupercula, de Villa *Pleſʒna* mulier, unam habens tenuem pro maxima ſorte vaccam: quæ dum ex gravi extingveretur infirmitate, lamentabunda, Divam Tuchovienſem quæ ſuſcitat *de terra inopem & de ſtercore erigit Pauperem* inclamat. Res admirabilis! Vacca ſurrexit incolumis.

In Cælis radiat Tibi Bos vig lantior inde;
Pecora quòd terris Virgo nitere facis.
Solſtitiale caput calidiq; Leonis, *adoret*
Aſtrorum Dominam, Virgineaſq; *comas*.

Cornua pro radijs Tibi dedicet aurea Taurus;
Seu Phryxea tuo vellera Soli Aries.
Detq; tuæ Lunæ Stellas gelidus Capricornus,
Vrsa *tamen timeat terrificare gregem.*

CAPUT XXIV.

Res furto ablatæ restituuntur.

SEd & fures graviore apprehendamus ſtupore: ſub umbra etenim hujus Admirabilis *Roſæ*, quamvis nihil latere poſsit; ſecretum tamen eſt Divinæ Providentiæ. Et quod ſi quis videt furem & currit cum eo; caveat in gravem criminis incidere reatũ: pungit enim hæc *Roſa* quamvis *ſine ſpinis*, conſcios mentis errores. *Revelata eſt iniquitas & fur.* Oſe: 6.

Anno 1641. *Bartholomæus Kuna*, Civis Tarnovienſis, falſo furti crimine citatus in Iudicium, & per ſententiam Iudicis, honeſto Civili exauctoratus, inſuper artis ſuæ Mechanicæ prohibitum graviter indolebat officium. Hominum decreto ſuccumbens, & veritatem à filijs hominum multis lamentis exclamans exulantem; inops conſilij, ad forum Divæ Tuchov: appellat, eiq; periclitantis punctum exponit honoris. Suſcipit devotam D E I Virgo Iuſtiq; Iudicis Mater appellationem; neq; permiſit famulum ſuum injuſtâ corripi infamiâ. Nam res illæ furtivæ, breviter cum fure ſunt inventæ, re-

ſtitutusq; eſt majori *Bartholomæus* honori, detra-ctamq; boni nominis recepit pellem. *Salvabitur Innocens.* Iob: 22. *Super furem enim eſt confuſio.* Eccle: 5.

Deprædicavit vigilantem DEIPARÆ Virginis Tuchov: oculum Anno 1677. Gñosa Dña *Chriſtina Fraßtynowa* recognoſcens, quòd illi vice quadam aurea catena, in valore triginta aureorum deperijt, quam quia magnis lamentis exclamavit; nonnulli inſanæ mentis ſvaſores ſvadent, quatenus rem deperditam magicis committat artibus: at *Mulier timens DEVM* prudenter reſpondit: *Non à Patre mendacij, ſed à DEO totius conſolationis conſilia requirenda.* Igitur Divam Tuchov: per annos tres invocans, *auxilium de tribulatione* ablatamq; mirabiliter recepit catenam, dicens: MARIA *me refrigeravit, & catenam meam non erubuit.* 2. Tim: 1.

O D E.

QVæris ſolicita face,
Nec luſtras hominem luce Diogenes,
Vmbris cæcus in ipſis,
Argus centoculus lumine concidit.
Clara lampade Virginis
Cælorum, citiùs comperis omnia.
Regnorum diademata
Pridem perdidimus, Sceptraq; fregimus

Incon-

Inconstantibus actibus:
Seu dotes animæ, mens malè prodiga
Dissipavit & exuit:
Ast has inveniet Virgineum jubar.

Pauca Thaumaturgæ DEIPARÆ Tuchov: miraculorum inscripsi præconia, cùm tamen plura sint. Imò magis admirandum! quòd indies miracula fiant, dexteramq; Divæ Tuchoviensis, etiam in magna distantia suspirantes experiantur populi. *Tu gloria Ierusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri: & ideò* in gloria Sanctissimi Patris BENEDICTI *eris benedicta in æternum.* Iudith: 15.

CAPUT XXV.

Operis Conclusio.

SAcra DEI Parentis Imago Benedictæ Virginis MARIÆ Tuchoviensis, plus quàm Moysis Tabula, Miraculorum effectrix, gratiarum suarum pretium in amore & admiratione totius Orbis habet inæstimabile. Cujus miranda facta, nunquid una lingva vel calamus percensere sufficiet? quæ momentis, horisvè inenarrabilia sunt. Interim hæc Matris admirabilis effigies veneranda, omnium oculos in sui pertrahit amorem: obstinacibus incutit timorem: ingredientibus gaudium: regredientibus revisendi desiderium. Cæterùm, cùm satis insigni

laudum approbatione efformata ſit hæc S. Imago, planè juxta illud Salomonis: *Nigra ſum, ſed formoſa*: nihilominùs ad ipſiusmet naturæ miraculum mutari in colore conſpicitur. Iam notabili ſpecie vultum producit immutatum, quaſi auguſta Majeſtate, minarum, averſionisq; ſigna producens demonſtratur: jam pallido circumfuſa exceſſu, ad dolorem compuncta ſpectatur: jam venuſtiſsimo, roſeoq; vultu, ad ſvavem ſupplicantis populi compaſsionem, & maternam clementiam, reſplendet gratioſiſsima. Et quamvis ad hoc inexhauſtum gratiarum Lumen, quotidianus circumhabitantium concurſus accedat; majori tamen numero, Sacro Viſitationis B. V. MARIÆ die, uſq; ad Octavam protenſo, ad ſexaginta millia hominum conveniunt. Majorem miraculorum ſeriem, quodſi benevole deſideras Lector? *Reſpice in faciem Matris Chriſti tui*, quæ neminem adhuc deſperatis in Conſilijs, ac luctuoſis in caſibus deſpexit. Quod autem prodigioſa hæc Sacræ DEI Matris Imago, mutari in colore conſpiciatur, præſentes cauſam exponunt verſiculi.

Iam pallet, jam Virgo rubet, lux occidit alma:
Exhorret mundi forſitan illa ſcelus.
Tunc blandus redit ille decor, faciesquè ſerena,
Si tuus exoritur Lector ab ore Rubor.

Habemus autem acceſſum ad DEVM, ubi Mater ante Filium, & Filius ante Patrem: Mater oſtendit

Filio

Filio pectus & ubera: Filius Patri latus & vulnera: & quomodo poterit ibi ulla esse repulsa, ubi tot sunt Charitatis insignia. *S. Bernardus.*

CAPUT XXVI.

Ad amænissimum Collem Tuchoviensem qui Ecclesiam Thaumaturgæ bajulat Imaginis.

MOns, in quo beneplacitum est DEO, habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. *Psalm:* 67.

Mons humilis terrâ, cælis sed celsior ipsis!
O nisi tu fieres lassatæ mentis acumen,
Scandere te nunquàm posset terrena Pöësis,
In quo Cælestes habitant cum Numine Vates.
Te Cæli cingit pretiosa Corona *MARIA,*
Et DEVS ipse nitet Supremo vertice gemma.

CAPUT XXVII.

Authoris ultimum Caput, indignum, infimumq́ coram Benedicta DEIPARA *Tuchov: cum Operis conclusione, humiliter in terras projectum.*

ODE.

SIderum Princeps, Superûmq́ Sponsa,
Luce stellarum redimita Virgo:

Quod paris Lumen, pia mitte nostrum
Mater in Orbem.
Inter hos belli strepitus, tumultum
Omnium rerum, remove serenâ
Pacis aurorâ, tua quam Rosarum
Purpura signat.
Gloriam Regni loquimur Poloni,
Quæ Tuis crevit titulis MARIA;
Parce sed Virgo trepidæ loquelæ,
Parce silenti.
Ad Tuos inquam rutilos Rosarum
Purpuræ fasces, nimium rubescit,
Seu stupet frontis radiantis ostrum
Mens verecunda.
Virgo sudantis Patriæ Levamen,
Grande fatalis columen ruinæ,
Cladium Regni, Procerumq́, Vita
Consiliumque.
In Rosis fulget strophium suave,
Quo Spei Mater, Lacrymas MARIA
Flentis abstergis Lechiæ, coronas
Atq́ perornas.
Plena Tu Verbi titulis triumphans,
Non eges nostra fragili Panegri;
Audias Virgo tamen, & volantem
Respice pennam.
Quiq́ conscribunt Tua metra laudis,
Tu

Tu libro Vitæ, gladiô doloris
Mater inscribas, sine fine standum,
Nomen eorum.

Author Operis.

Incomprehensæ Lucis Phœbo, in quem desiderant Angeli prospicere, JESV CHRISTO, Verbo Patris, *seu maximo humanæ salutis Oraculo, in castissimo Miraculosæ Virginis MARIÆ Tuchov: sinu quiescenti,* Soli DEO *honorem & gloriam profitetur.*

O D E.

JESV! *dierum Sponsus amabilis,*
Qui Virginali luce prehenderis
Soleq; Lunaq;, omnibusq;
Pulchrior æthereis figuris.
Vitæ LIBRO, *sed quæ Tibi sepia*
Scribet Panegrym? quæ Tibi gloriam
Narrare posset lingva VERBO?
Quis nitidum Te humeris Olympum
Portabit Atlas? parce pijssime
DEVS! *loquenti parce lyræ tamen:*
Nam dum venustis Matris ulnis
Eveheris, rutilo refulges

Cælo:

Cælo: ac in Arca, certa Salus, Nòë
Tranas: in Arca fœderis, Regula,
In Exedra VERBUM peroras:
In Solio SALOMON quiescis.

JUBILUS,

Ad Virginem DEIPARAM MARIAM *cum Puero JESU.*

ODE.

JESU! tot Tibi sint munera gloriæ,
Quot sunt æthereo lumina circulo:
Quot guttis mare stillat,
Quot fert littus arenas.
Virgo! Sidereo lumine pulchrior!
Sol fulgore Tuam per trabeam micet:
Stringat Cynthia plantas,
Stellæ tempora cingant.
IESU! tot Tibi sint munera gloriæ;
Quot sunt in Libano frondifluæ cedri:
Quot quot parturit Hybla,
Flores, aut Cyprus uvas.
Virgo! florifero germine gratior,
Carmelus Solium det Tibi Regium,
Ostrum dent hyacinthi,
Nectant lilia Sceptrum.

IESU!

IESV! tot Tibi sint munera gloriæ,
Quot Ganges refluit fontibus aureis,
Quot conchylia Ponto,
Aut in Palmite gemmæ.
Virgo! gemmiferis splendidior focis,
Te lux Assyrio murice purpuret,
Scintillante pyropo
Dives tingat Hydaspes.
IESV! delicium cordis amabile!
Virgo! dimidium cordis mei bonum!
IESV! Numen amandum!
Virgo! Numinis ara.

Ad Eandem Virginem Thaumaturgam.

O D E.

REgina veris, montibus insidens!
Seû Chloris ardens purpureo throno:
Messis Rosarum: flosq; Patrum, &
Relligionis amor refulsit.
Nam splendet ingens Elysij nitor
MARIA terris; dum roseis comis
Tristem Poloniam tuetur,
Et manibus diadema Pacis
Gestat. Sagaci Pegasus ungulâ
Inscribit illis purpureis Rosis

Regum coronas, atq; fasces.
Et Procerûm clypeos & arma.
In luctuosis casibus, ô Rosa!
Et mentis æstu, sis Patriæ labor:
Scutumq;, murusq; & coronæ
Gemma Tuæ rutilans Polonæ.

Ad Eandem Virginem Thaumaturgam.

ODE.

MAjestas Procerûm, gloria Virginum!
Supremiq; Parens Numinis! aspice
Colluctantia Regna
Regnorumq; pericula.
Fulgent sub roseo stemmate Virginum
Regales Clypei, scutaq; regia,
Mavortis diadema
Necnon Purpura Principum.
Delicium Tiaræ, præsidium pedi,
Ex (ô Virgo) Tuo germine suscipit
Spinarum Benedicti
Patris florida Laurea.
His sub nonne Tuis umbriferis Rosis,
Sedantur lacrymæ, quas populus gemit?
Orbis regna quiescunt,
Floret Relligio & fides.

Uni

Uni Trinoq; DEO, DEIPARÆquè Honor & Gloria.

O D E.

TRine Cælorum, Pelagiq; Rector,
Unus æterno DEVS in decore:
Bella naturæ removens, repelle
lurgia nostra.

Cuncta fecisti in Sapientia, qua
Fortiter, faustèq;, suaviterq;
Dirigens, terram moderaris æqua
Lance, polumquê.

Nullius Tu consilijs creasti
Lucidum totum DEVS universum;
Cûi dies, cûi nox, nitidusq; stellis
Paret Olympus.

Da Sacræ Pacis requiem, tuiquè
Numinis nostram tueare formam,
Quam reduxisti, fragilis lutoso ex
Aggere glebæ.

Supplices audi Pater increate!
Tuquè nos audi genitum Paternæ
Mentis ô Verbum! simul atq; bini
Pectoris ardor.

Nempe pro nostra valida salute,
Unicum Verbum loquitur MARIA,

Quale naturâ genuit ſtupente
Virgo pudica.

Ad Gratioſam Virginem DEIPARAM in Capella Eccleſiæ Patrum Benedictinorum, Monaſterij Tynecenſis, antiquiſſima tam Patrum illius Loci, quàm circumhabitantium devotione celebrem. Imago hæc cæleſtibus inſignita favoribus relucet: ad quam ægri ſanitatum dona, afflicti conſolationum genera conſeqvũtur. Per cujus admirabile præſidium, Monaſterium Tynec: nullo peſtifero morbo invaſum; quotieſcunq; ſub imani àëris in clemẽtia, ſolemnibus ad eandem Virginem confugeret invocationibus. Imaginis gratioſæ, præſens cõſpicitur forma. B.V. MARIA compoſitis manibus, Puerũ JESVM roſam tenẽtem, fovet in ſinu Materno.

O D E.

Regina veris! Virgo DEIPARA
Dignare florum quærere Regulum?
Plerumq; frontem, cur coronet
Puniceo roſeoq; ſerto.
Rex ille myrto præpoſuit Roſas
Innexuitq; hæc Stemmata Purpuræ,

Quæ

Quæ per cruoris tincta nimbum
Parturijt benedicta spina.
Num possit æstus viscera Sirius
Contagioso flamine rodere?
Si flore tanto sola spiras
Virgo refrigerij salutem.
Sub floris illo germine, prospera
Da signa Pacis: quot folijs Rosa
Nati viret, tot Virgo scutis
Auxiliare Tuo Polono
Regno. Sed omen colligimus bonum,
Nostræq; sortis præsidium Sacrum:
Dum Virgo tranquillam revelas
Compositis manibus quietem.

Ad Thaumaturgam dolorum Reginam, DEIPARAM MARIAM, *in Porta Collegij Universitatis Cracoviensis.*

O D E.

R*Egis dolorum Sancta Parens Ave!*
Regina tranquillæ patientiæ,
Totumq; cor Nati, cruentus
Quod gladius sine fronte mundi
Transfixit. Ah si consocies mea
Tuo dolori viscera! lacrymis

Tunc ſaxeum pectus liqueſcet,
Frigida tunc benè mens caleſcet.
Tuo Mucroni mæſta Polonia,
Regni Coronam, Sceptraq; Regia,
Belliq; motus ac tumultus
Subijcit ut abili ſtriumphet
In Pace. Te Sedem Sapientiæ
Cæliq; Portam Pulpita prædicant
Stoæ Togatæ: Tuq; lauros
Accumules gladio doloris.

Perilluſtri & Admodum Reverendo Dño,
THEODORO ZIELONACKI,
Ord: S. BENEDICTI Regalis ArchiCænobij
Tynecenſis PRIORI & CVSTODI,
necnon toti Sacræ Coronæ A. RRńdorū Patrum Tynecen:
ſub quorum vigilanti cura
Thaumaturga Divæ DEIPARÆ Tuchovienſis
aſſervatur Imago,
Author Operis Votivum occinit Carmen,
cum alluſione in Claves D. PETRI, & Gladium D. PAULI,
PRINCIPUM APOSTOLORUM,
Inſigne ejusdem ArchiCænobij Tynecenſis.

O D E.

QVàm DEO *charus* Theodorus *exſtes*
Cerno; nam Floræ *rutilam* MARIÆ

Col-

Colligis Messem, trabeamq́ avitô
Cingis Acervô.
Illa deponit cumulum Rosarum
In Tuas ulnas, titulosq́; nempe
Sub Tuo signo Patrio, refloret
Messis bonorum;
Si Patrum attrectem nitidam Coronam,
Quam polo flexit Benedicta Spina,
Huic Sacro Serto, Rosa celsiore
Fronde refulget.
Per pium Vestrum vigilem laborem
Nonne Conclusus *revirescit* Hortus?
Sub Rosâ Vobis, placidæ Salutis
Laurea crescat.
Vos Rosis *totum redimite mundum;*
Ferte Vos palmas gladiôquè Pauli,
Clavibûs Petri, *Paradisi amœnos*
Solvite postes.

Ad eundem Perillustrem PRÆLATVM.

O D E.

Q*Vis ecce Memnon conticescet? quem novus*
In verba Phœbus provocat:
Nunc Orpheo jocante Pallas intonat,
Laudemquè montes jubilant.
Quis Sole fulgurante Persa, splendidam
Laudis negabit Victimam?

Lethar-

Lethargus omnis excitatur somnifer;
Dum clara vitæ lux nitet.
Miraculosi *Splendor* Ortûs, *inclytæ*
Signum prehendens Virginis,
Flammis Sacrarum gratiarum desuper
Lechicis in Vmbris eminet:
Seu veriùs MARIA, *signa proferens,*
Mater Supremi Luminis,
Polum Polono ex Orbe mysticum facit,
Ex mentibusquè sidera.
Ast hocce Cælum dum Theodorus *fovet,*
Solemquè claræ Virginis,
Et astra mentium acervo fulcit suo
Polonum Atlantem dixerim.

ita plaudit constanti erga Prælatum suum affectu,

P. DOMINICVS ZARSKI O. S. B.
Paroch: Tynec: Præp: Scawin.

Errata.

C 3 alt: part: *pæstano* corrige *pæstana.* H alt: part: *annos duodecim* corrige *per annos duodecim.* K 2 ODE *semper solamen* corrige *levamen.* In Capite XVI. *vindica* corrige *vindice.* In miraculo ejusdem Capitis 1641. *altitudinis duodecim* adde *cubitorum.*

FINIS.